










1. – 149.





Oseæ PROPHETIA:

D. IACOBI MATTHIÆ ARHVSIENSIS, S. S. THEOLOGIAE DOCTORIS ET PROFESSORIS in Regia Academia Hafniensi, Prelectionibus illustrata.

NVNC

Opera & studio Hæredum edita.



BASILEÆ,

PER SEBASTIANVM HENRICPETRI.



SERENISSIMO AC POTEN-
TISSIMO PRINCIPI AC DOMI-
NO, DOMINO CHRISTIANO, EIVS NOMI-
nis IIII. *Danorum, Noruagianorum, Vandalorum Gottorumq́, El. Regi, Duci Slesuigæ, Holsatiæ, Stormariæ & Ditmarsiæ, Comiti Oldenburgensi & Delmenhorstensi, Domino suo clementissimo.*



EDIDIMVS superiori anno, Serenissime Rex, Domine Clementiss. commentaria in Ecclesiasten, Ioëlem, & alia nonnulla, de Tropis videlicet & Concionandi ratione, quę D. Iacobus Matthiæ, p. m. S. S. Theologiæ Doctor & professor in hac T. Maiest. Academia, magna cũ laude, publicè proposuerat: ea cùm auidè à multis iã coëmi & legi animaduerteremus: è re discẽtium fore iudicauimus, si reliqua ab ipso scripta & apud nos reposita, etiam foràs darentur, piaculum esse arbitrati ea in propriam nostram vtilitatem conuerti & tandem neglecta supprimi, quæ alijs magno olim vsui esse possent. Emitti-

mus itaque hoc tempore commentaria in Oseam, cui primum inter Prophetas minores locum assignant: Sunt quidem ea admodum breuia: sed ad Prophetæ sensum intelligēdum, ferè sufficiētia: è textus enim explicatione Grammatica & Logica is optimè eruitur: potuerat autor latiùs Prophetam ipsum explicasse, & locos communes subinde extruxisse, sed illam docendi rationem auditoribus non vsque adeò vtilem esse iudicabat: nā aliud est ex concione populum docere: aliud autem in scholis auditoribus aliquid proponere & explicare. Illa enim in quibus digressiones longiores fiūt, studiosos persæpè à sacrorum librorum lectione auocant, quo diuina oracula, cùm veteris tum noui Testamēti, nos remittunt. Ne discedito, inquit Iehoua ad Iosuam, liber iste legis ex ore tuo, sed meditare de eo interdiu & noctu & obseruāter facias, omnino prout scriptum est in eo, tunc enim prosperaberis in vijs tuis, & tunc secundaberis: & filius Dei apud Iohannem ait: Scru-

tamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt quæ teſtificantur de me. Sed ad Oſeam redeamus. Dirigit Propheta orationem ad populum Iſraëliticum & etiam ad Iudæos, qui à vero Deo ad cultus idololatricos delapſi multis ſceleribus ſe polluerant, quibus grauiſſimè eadem ante oculos ponit: & Propheta ipſe Dei partes agit, vxor autem illa adultera, populus eſt. Vt enim variè afficitur maritus in vxorem adulteram, nunc de reiectione, nunc de ipſa in gratiam recipienda cogitans & variè ſecum diſputans: ita Deus clemens, benignus & multum miſericors, variè cum populo Iſraëlitico agit, & quamuis grauiſſimè ad iram & indignationem eum commouerit: tamen ſi vitæ ſtudia emendaret & à cultu idololatrico ad verum & legitimum Dei cultũ rediret, nõ ſolùm ſpiritualia beneficia, ſed etiam corporalia abundè promittit. In hac itaque concione exardeſcit Propheta & nunc exilia & alias calamitates minatur: mox Dei

benignitatem & clementiam proclamat: tota ergò ipſius Prophetæ cōcio eſt de peccatis, pœnis peccatorum, & rurſus de gratia Dei qui reſipiſcentes nequaquam reijcit, ſed benignè admittit & clementer recipit. Verùm cùm noſtrarum partium non ſit prolixiùs hac de re diſſerere, ſed eorum qui hæc ex profeſſo tractant, conſilij noſtri rationē, quare Majeſt. T. hypomnemata hæc inſcripſerimus, breuiſſimè ſubiungemus, quam T. Majeſt. clementer ſuſcepturam nequaquam diffidimus: inprimis autem hæc T. Majeſt deberi iudicauimus cùm in tua Academia propoſita ſint, quam maiores tui, ſanctiſſ. memoriæ, Reges, fundarunt, & paulò pòſt ob bella & rerū viciſſitudinem, ferè collapſam, Auus T. M. paternus, Chriſtianus III. Princeps omni laude cumulatiſſimus, de nouo q. erexit: cui poſtea ſuperioribus annis ab illuſtriſſimo parente tuo S. M. magna ſtipendiorum acceſſio facta eſt. Vt, inquam T. M. non paucos in Academia proximis annis cum laude iuuentutem docuiſſe,

cuiſſe, & etiamnū in eodem feruore perſiſtere, cognoſcat, cenſuimus hęc T. M. inſcribenda eſſe. Adhæc vt nos aliqualem grati animi ſignificationē erga T. M. autoris, p. m. nomine declararemus cùm id ipſi fatales Parcæ non conceſſerint. Regio enim ſtipendio aliquot ipſe annis in Germania, diuerſis in locis, vixit, vbi viros vitę integritate & doctrina clariſſimos, ſtudioſè audiuit. Demū vt nos etiam horum librorum editione noſtrum erga demortuum officium T. M. probaremus, qui non paſſi ſumus ea intermori, quæ ſi ipſe vixiſſet, feliciùs & edi & viuere potuiſſet. Quibus igitur poſſumus precibus à Regia tua Ma. etiam atque etiam ſubiectiſſimè contendimus, vt hos noſtros labores & audaciā in fratris & affinis noſtri lucubrationibus edēdis & T. M. offerendis clementer ſuſcipere velit: quod ſi fecerit ad alia edenda paratiores & alacriores reddemur. Deus opt. Max. Rex Regum & Dominus dominātium Regiam T. M. nobis quā diutiſſimè ſaluam & incolumem benignè conſer-

conſeruet, & ita Regijs virtutibus abundè adornet & cumulet, vt per T. M. hæc Septentrionis regna longè lateq́ue floreant, & dulciſſima pace & vera religione, in Dei gloriam & ſubditorum tuorum ſalutem & vtilitatem, peroptatò fruantur. Haſniæ xv. Martij Anno Ieſu Chriſti cIↄ Iↄ xc.

R. T. Maieſt.

Subiectiſſ.

ANDREAS LYMVICVS
Medic. Profeſſ.

PRÆFATIO IN HOSEAM PROPHETAM.

CVM ante ferias psalmi 119. interpretationem absoluerimus, & nunc aliud Scripturæ Argumentum in manus sumẽdum sit, deinceps Hoseam Prophetã, qui est è minoribus Prophetis primus, interpretabimur: Primum igitur Deũ oro toto pectore, vt Spiritu suo sancto prophetiæ & Scripturæ omnis Autore, mentes nostras illuminet, nosq́; regat & gubernet: vt hæc sacrosancta oracula & sapientiæ cœlestis mysteria rectè intelligamus, & intellecta ad vsum in tota vita transferamus, in gloriam nominis diuini & ædificationem atque salutem nostram. Amen.

Quia autem nunc primum scripta prophetica attingimus, primùm generalia quædam, quæ ad omnes Prophetas ex æquo spectent, præmittenda esse videntur.

Erunt autem hæc.

PRIMVM. *Testimonia Christi & Apostolorum quæ lectionem Scriptorum propheticorum, & veteris instrumenti totius nobis commendent.*

SECVNDVM. *Qui fuerint in veteri Testamento Prophetæ dicti: Et quodnam eorum officium fuerit.*

TERTIVM. *De difficultatibus & periculis Prophetarum: eorumq́; patientia & constantia.*

QVARTVM. *De scriptis & concionibus prophetarum.*

DE PRIMO.

ETsi filius Dei & Apostoli diuina mysteria & Mosis atq; Prophetarum oracula abundè interpretati sunt: Tamen

men non auocant nos ab eorum lectione, sed potiùs eam nobis magnoperè commendant, & eò nos tanquam ad suarum concionũ fontes & fundamenta ablegant, vt multis Christi & Apostolorum testimonijs probari possit: è quibus nos pauca in præsentia delibabimus.

Matth. 5.v.17. *Ne existimetis, inquit Christus, me venisse vt dissoluam Legem & Prophetas, imò non vt dissoluã, sed vt compleam.*

Luc. 16.v.29. *Habent Mosen & Prophetas, illos audiãt.*

Luc. 24.v.25. *O` amentes & tardi corde ad credendum omnibus quæ loquuti sunt Prophetæ.*

Act. 10.v.43. *huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remißionem peccatorum accepturum per nomen eius quisquis crediderit in eum.*

Act. 17.v.11. *Laudantur Beerenses, quòd quotidiè scrutarentur Scripturas, an ea se ita haberent quæ à Paulo dicerentur.*

Act. 26.v.22. *Nihil aliud dico (inquit Paulus ad Agrippam) quàm ea quæ Prophetæ & Moses prædixerant futura.*

Ad Rom. 3.v.21. *Nunc autem iusticia Dei absq; lege patefacta est, testimonium habens à lege & Prophetis.*

Ad Ephe. 2.v.20. *Superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, cuius imus angularis lapis est ipse Iesus Christus.*

Et 2. Pet. 1.v.19. *Habemus firmiorem sermonem propheticum, cui dum attenditis velut lucernæ lucenti in loco caliginoso rectè facitis, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris, illud primum statuentes nullam Prophetiam Scripturæ esse priuatæ interpretationis: Non enim voluntate hominis allata est olim prophetia, sed à Spiritu sancto impulsi, loquuti sunt sancti Dei homines.*

Scriptæ

Scripta igitur prophetica vt oracula diuina à Christo & Apostolis nobis commendata; diligenter legēda & cognoscenda sunt, vt & fidem nostram inde confirmemus, & mores nostros emendemus: & non solùm præcepta viuendi, sed etiam materiam & exemplum docendi inde petamus.

DE SECVNDO.

Qui fuerint in veteri Testamento Prophetæ dicti?

PRophetæ in veteri Testamento dicti sunt Doctores immediatè à Deo vocati, ad repurgandam doctrinam, & præcipuè ad illustrandam promißionem de Meßia, & ad publicas calamitates & mutationes regni Iudaici, & imperiorum, & Ecclesiæ liberationes prædicendas, & aliqua politica consilia. Et sunt ornati testimonio miraculorum, vt certum esset doctrinam eorum diuinam esse, & eos non errare in doctrina, quia Deus de ea testificabatur.

Dicti sunt autem Prophetæ ab vna officij parte, nempè futuris prædicendis. Vox enim prophetæ à πρόφημι*: id est, prædico, est: quæ vox non ab interpretibus Græcis facta est, sed ex vsu linguæ Græcæ sumpta.*

Habuerunt enim & Ethnici suos prophetas: Etsi alius eorum fuerit ἐνθουσιασμὸς*, quàm horum Prophetarum. Veteres inquit Festus Antistites Fanorū, oraculorumq́ Interpretes, prophetas dicebant. Vnde apud Eschylum in septem ad Thebas de Amphiarao vate dicitur:*

σώφρων, δίκαιος, ἀγαθὸς, εὐσεβὴς ἀνὴρ,
Μέγας προφήτης.
Honestus, iustus, bonus, pius vir,
Magnus Propheta.

Et Paulus ad Titum 1. v. 12. *Epimenidem philosophum Poëtam & vatem Ethnicum, prophetam appellat.*

Hebraicè Propheta נָבִיא *appellatur: Et* חוֹזֶה *videns, quæ appellatio vetustior fuit: vt est 1. Samuel. 5. v. 9. Qui hodie inquit Samuel* נָבִיא*: id est, propheta, is olim* חוֹזֶה*: id est, appellabatur. vnde & prophetia* חָזוֹן*: id est visio, dicta est.*

Appellatur & רֹאֶה

Quódnam fuerit officium propheticum?

Officium propheticum duplex fuit, commune & proprium. Commune cum alijs doctoribus Ecclesiæ fuit: docere, & doctrina sua Ministerio Euangelij Ecclesiam Deo in genere humano colligere. Functio igitur & doctrina prophetica in genere eadem fuit, quæ Apostolorum, & omnium Doctorum in Ecclesia, nempè doctrina legis & Euangelij: his enim duobus tanquam capitibus summa totius doctrinæ Ecclesiæ est comprehẽsa, & ad hæc eadem duo capita omniũ Prophetarum & Apostolorum, & aliorum doctorum conciones referri possunt, & debent. Quod ipsi Prophetæ interdũ etiam innuunt, & docent. vt Ieremiæ, 1. v. 9. & 10. Et Ezechiel. 13. v. 22.

Ad materiã Concionum infrà.

¶ Duo igitur sunt capita & quasi cardines concionum propheticarum, nempè concio legis: id est, reprehensio, accusatio, obiurgatio, concio iræ & iustitiæ diuinæ, & pœnarũ comminatio: Deinde concio Euangelij: id est, consolatio, concio veniæ, gratiæ & misericordiæ, & promissio remissionis peccatorum propter Christum.

Et hæc duo capita ita perpetuò inter se coniungunt aut miscent Prophetæ, vt nulla ferè sit concio ad populum Dei, in qua nõ vtriusq; fiat mentio: vt ita & securitati & desperationi pariter occurrant, ne ex perpetua gratiæ concione occasionem securitatis hypocritæ arripiant, aut ex perpetua iræ & iustitiæ concione imbecilles in desperationem adigãtur, Sicut enim Samaritanus in vulnera viatoris saucij vinum & oleum simul infudit: ita vtraq; doctrina, iræ & misericordiæ, seu Legis & Euãgelij, ad vulnera animorum nostro-

nostrorum sanãda, pariter necessaria est, & prudenter adhibenda.

Hoc igitur officium propheticum commune est. Sed hoc habebant peculiare hi Doctores: primùm quòd essent legis Mosaicæ præcones, custodes, & interpretes summi, quam nõ tantùm Regibus, & populo, sed etiam ipsis sacerdotibus inculcarent, & operam darent ne quid in doctrina, religione, & statu Ecclesiæ, et Reip. cõtra legem Moisi mutaretur, aut innouaretur: aut si quid mutatum esset, corrigeretur: vnde toties apud prophetas legis mentio fit. vt Esaiæ 8.v.20. Ad legem & ad testimonium. Ieremiæ 9. & 13. Eò quod dereliquerit legem meam. Et Malach. 4.v.4. disertè inquit: Mementote legis Mosi serui mei.

In primis autem prophetæ Idololatriam & ritus ethnicos contra primam legis Mosaicæ tabulam inuectos reprehendunt & accusant: quanquam etiam non negligant peccata contra tabulam secundam.

Erant igitur prophetæ νομοφύλακες, legis custodes & νομοδιδάσκαλοι: id est, legis Doctores & Interpretes, vt si quid perperam in lege intelligeretur, id rectè interpretarentur. Verbi gratia. Populus bellè se functum officio existimabat, cùm victimas immolaret, & ritus externos obseruaret, de officijs charitatis & humanitatis parum solicitus. Prophetæ contra, clamant legem non rectè intelligi, nihil esse omnes ceremonias, cùm abest animi sinceritas, pietas, & charitas.

Primum igitur officium peculiare propheticum fuit, Reges, Sacerdotes, & populum in obedientia legis Mosaicæ cõtinere, legis autoritatem tueri, eamq́; perspicuè & copiosè interpretari. Vnde & præstantißimi Prophetæ eo maximè loco & tempore in Iudæa excitati sunt, quo maximè lex Mosaica neglecta & contempta fuit, vt in impio & idololatrico regno Israëlis.

Secundum officiũ fuit, promißionem in lege Mosi de Meßia vẽturo factam, repetere, illustrare, & certis circumstantijs definire, eaq́ʒ & sese & populum cõfirmare, & consolari.

Cum enim Meßias promissus esset qui ex ea gente nasceretur, non potuit Ecclesia in ea gente penitus deleri aut dissipari, antequam venisset Meßias.

Tertium officium deniq́ʒ fuit pœnas & liberationes speciales & singulares prædicare, & digito quasi monstrare: habebant enim visiones sibi proprias, quibus futura ipsis reuelabat Dominus, vt promissa & minas legis ad populi vsum applicarent, priusquàm de voluntate Dei testificarentur.

Minatur Moses Deut. 28. & alibi bellum, famem, pestẽ, & alias calamitates in genere, ijs qui legem non obseruent, cum his minis prophetæ certas addunt circumstantias, & bellum minantur certo tempore, ab Assyrijs, Aegyptijs, aut alijs. Dominus per Mosen promittit se populum in extremas orbis terræ partes disiectum, rursum collecturum esse: huic promißioni prophetæ circumstantias addunt. Quamuis (inquiunt) in Babylonẽ disiectus fueris, tamen post annos septuaginta reuerteris. Atque hîc priuatim prædictio certarũ calamitatũ Hebraicè מַשָּׂא: id est, onus, à Prophetis dicitur. vt Esaiæ 13. v. 1. Onus Babylonis, & paßim alibi.

Quod autem ad publicarum calamitatum prædictiones, interdum etiam liberationes pertinet: nõ solùm Iudæis, sed etiam Gentibus, alijsq́ʒ regnis & imperijs vaticinabantur prophetæ, idq́ʒ maximè ad pios, qui vel domi in Iudæa essent, vel in alijs regnis versarentur, consolandos & monendos, vt moniti rectiùs sibi & rebus suis consulerent, tum ad impiorum & hostium Ecclesiæ superbiam retundendam. Postremò vt etiam Gentes admonerentur in regno Iudaico veros esse prophetas, ac proinde etiam veram religionem:

Atq;

Atq; ita gentes ad veræ Ecclesiæ societatem, & veri Dei agnitionem & cultum inuitarentur. Vnde Ieremiæ 28. v. 9. dicitur: Prophetæ qui fuerunt ante me, & ante te, à seculo, prophetauerunt super terras multas & regna magna, de bello, afflictione & peste: id est, publicas gentium multarũ & regnorum calamitates prædixerunt. ¶ Cuius rei exempla extant apud Esaiam à capit. 13. ad cap. 24. vsq;, contra Assyrios, Aegyptios, & alias gentes multas. vbi cap. 23. Tyri vrbis nõ tantùm excidium & vastatio, sed etiam post annos quadraginta restitutio prædicitur. Sic Ionas & Nahum Niniuitis concionati sunt, & Ionæ quidem concio ipsis salutaris fuit. Daniel verò maximorum imperiorum mutationes prædixit.

Prophetæ igitur non suis tantùm, sed etiam exteris vaticinabantur. Atq; in his prophetijs quasi peregrinis, dignum consideratione est, quàm fuerint Prophetæ, non solùm domesticarũ, sed etiam peregrinarũ rerum periti. In ijs enim Prophetijs plurima mentio est, & accurata sæpè descriptio, non tantùm gentium, regionum, vrbium, sed etiam morum gentis cuiusq;, studiorum, consiliorum, mercimoniorum, armorum, & rerum priuatarum, & publicarum: vt cùm alibi paßim, tum cap. 27. Ezechielis apparet. Vnde & nobis experientiæ, & historiæ studium commendatur.

Quoniam itaq; de rebus futuris maximè quæ ad statum & salutem Ecclesiæ & Reipub. spectarent, & de voluntate Dei certas reuelationes haberent prophetæ: itaq; etiam non tãtùm priuatim, sed etiam publicè de rebus multis suscipiendis & gerendis consulebantur: vel etiam sua sponte à Deo iußi consilium dabant. Itaque sua sapientia & autoritate aliqua consilia politica gubernarunt. ¶ Sic Esaias sub Achas & Ezechia regibus monet nõ esse faciendam deditionem vrbis, & suos confirmat, & auxilium à Deo promittit.

mittit. Ieremias cōtrà Zedechiæ regi & principibus suadet, vt se & vrbem Babyloniis dedāt, quod nisi faciant, vrbem tamen ab hostibus capiēdam, & eos in hostium potestatem venturos, atq; ita deteriorem ipsorum conditionem futurā. Sic idem Ieremias ca. 27. multis regibus Iudææ vicinis, vincula mittit, & eos admonet & hortatur vt se spontè Babyloniis dedant.

Vt autem in toto hoc prophetarum officio, ita in tertia officii parte maximè, singularis apparet Dei erga populum suum clementia & indulgentia. Primùm enim Prophetas eiusmodi populo suo dare voluit, ne conqueri populus posset si prophetas non habuisset, quos in rebus dubiis & obscuris consulere posset suam conditionem, aliarum gentium conditione deteriorem esse. Aliæ enim gentes ferè omnes suos habebant Prophetas, suos vates, suos aruspices, suos ariolos, suos coniectores, suos magos & Chaldæos, quos Dominus in suo populo esse, aut à suis consuli vetuit. Atq; hinc populus indomitus & peruicax occasionem sumere potuisset, à lege Mosaica, ad ritus ethnicos deficiendi, cui incommodo vt occurreret Deus, Prophetas populo dedit. Deinde ideo etiam hos dedit, ne populus conqueri posset se non præmonitum calamitatibus obrui.

Etsi enim satis erat scire contumacibus pœnas metuēdas esse, Tamen Deus pro singulari sua clementia specialiter suos præmoneri per Prophetas voluit. vnde Amos 3. v. 7. dicitur: Non faciet Dominus quicquam, nisi reuelauerit secretum suum seruis suis Prophetis.

Tertium igitur propheticum officium & ad gentes se extrudebat, & politicum ex parte fuit, & singularis clementiæ diuinæ argumentum. Atq; hæc de officio prophetico dicta sunt.

TER-

TERTIVM.

De difficultatibus & periculis Prophetarum, eorumq; patientia & constantia.

Etsi officium Propheticum augustissimum & planè diuinum fuit, adeoq; Ecclesiæ & Reip. longè vtilissimum, tamen prophetis ipsis graue, molestum & periculosum fuit.

Cùm enim non tantùm promissiones gratiæ & misericordiæ diuinæ proponerent, & læta prædicarent, sed etiam peccata & peccantes reprehenderent & accusarent, ijsq; certas pœnas prædicerent, concio ea multis parum grata fuit.

In primis autem res ipsis erat cum regibus, proceribus, & Sacerdotibus. horum enim culpa præcipuè lex Mosi (cuius custodes erant Prophetæ) publicè negligebatur, & peccata omnis generis contra eam committebantur impunè, maximè verò religio ethnica in Ecclesiam introducebatur. Populus enim principum & sacerdotum autoritatem, religionem, mores, & opiniones, velut nauis tempestatem & ventos sequitur. Vnde cum principibus præcipuè rixari coacti sunt Prophetæ. Sic vir Dei Ieroboamũ qui primus vitulorũ cultum in regno Israëlitico instituit, grauiter reprehendit. 3. Reg. 13. Sic Elias Achabum, qui primus cultum Baalim inuexit in regnum Israëliticum grauissimè obiurgat.

Deinde reges Iudaici & Israëlitici sæpè stulta cupiditate bella non necessaria mouebant, aut illata sibi profligare, vel Deo inuito conabantur. Hîc etiam cum Prophetæ, eorum stultis & nihil profuturis conatibus & consilijs aduersarentur, & vel bella dissuaderent, vel deditiones suaderent, hac etiam in parte grauitèr sæpè reges offenderunt: Sicut Micheas Achabum, (de quo Achab inquit) odi eum quia nõ vaticinatur mihi bonum, sed semper malum.

His igitur de caussis fiebat, vt non tantùm populi, sed etiã regum & sacerdotum odia incurrerent: Ac proinde sæpè & ipsi, & conciones & prædictiones & consilia ipsorum prorsus à regibus & populo contemnebantur. Vnde Ioachim rex librum Ieremiæ in ignem conijcit, Ieremiæ 36. ver. 23. Et ipsi Prophetæ vt senes, deliri, insani & arreptitij deridebantur. vt 3. Reg. 9. v. 10. apparet. Et Prophetiæ ipsorum ludibrij causa decantabantur. vt Ezechiel. 33. v. 31. & 32. innuere videtur: & in prouerbia conuertebantur. vt Ezechiel. 12. v. 22. apparet.

Præterea non solùm contemnebantur & ridebantur, sed etiam verum loqui prohibebantur. vt Esaiæ 30. v. 10. aparet: & si non tacerent, publicè vt hæretici seditiosi & proditores patriæ accusabantur, in carcerem compingebantur. vt accidit Micheæ. 3. Reg. 22. vers. 27. & Ieremiæ, Ieremiæ 26. & 37. cap. Sæpè etiam interficiebantur, vt accidit Vriæ Prophetæ. Ieremiæ 26. Quod & Esaiæ, & Ieremiæ accidisse etiam scribunt.

Præterea hanc muneris prophetici difficultatem augebant pseudoprophetæ, qui acerrimi verorum Prophetarum aduersarij & hostes capitales erant. Hi enim ad aucupandam gratiam regum, & quæstum captandum, vt Micheæ 3. v. 11. dicitur: Peccata principum & populi excusabant, & extenuabant, & læta semper prædixerunt. ac proinde Prophetarum verorum peccata accusantium, pœnas conniuentium, & tristia prædicentium autoritatem eleuabant, & vt id efficacius facerent, autoritatem diuinam suis mendacijs prætexebant, & falsas reuelationes comminiscebantur. Horum autem magnus sæpè numerus erat, qui vnum aut alterum prophetam Dei oppugnarent. Vt vni Micheæ quadringenti aduersantur, quorum princeps Zedechias Micheam Prophetam Dei, regibus etiam præsentibus, pugno

cadit.

cædit. 3. Reg. 22. v. 24. Postremò triste fuit, tam diu cum populo pertinaci & regibus impijs nullo aut exiguo cum fructu rixari: tam diu videre & ferre cæcitatem, peruicatiam, & petulantiam suorum, & tandem non solùm præuidere, sed etiam videre Patriæ & Ecclesiæ vastitatem, captiuitatem, & exilia.

Hæ igitur magnæ erant difficultates, quæ & absterrebãt Prophetas ab hoc munere, & caussæ fuerunt cur Prophetæ hoc munus magnopere formidarent & deprecarentur: vt apparet, Esaiæ 6. v. 5. & Ieremiæ v. 6. 8. & 17. Et Ezechiel. cap. 2. v. 8. Ne sis, inquit Dominus, rebellis, aperi os tuum & comede. Et Amos 3. v. 8. Et Moses ipse dux chori prophetici grauiter tergiuersatur, & sese excusare conatur. Exod. 3. v. 11. Et cap. 4. v. 10. & 13. Et hæ difficultates tristes etiã querelas prophetis expresserunt: qualis est illa Ieremiæ 20. v. 7. Seduxisti me Iehoua & seductus sum. Et v. 14. Maledicta sit dies illa in qua natus sum. Et Elias 3. Reg. 19. Cùm Izabelem fugeret, molestiarum & periculorum pertesus mortem optat: Sufficit nunc inquit, ô Iehoua, tolle animam meam: non enim sum melior maioribus meis.

Etsi igitur graue & arduum munus erat propheticum: tamen prophetæ Dei & molestias omnes patiẽter tulerunt, & officium constanter fecerunt, nec vllis difficultatibus aut periculis fracti stationem suam deseruerunt, sed magna animi constantia, & populum & reges officij sui admonuerunt, & quod ipsis à Deo patefactum & mandatum erat, siue lætum, siue triste, ipsis proposuerunt. Et quanquam pericula interdum vitarunt, vt Elias fugit Isabelem: & Vrias propheta Ieremiæ collega fugit regem Ioachim. Ieremiæ 26. Tamen officium suum nunquam deseruerunt. Ionas.

Et affuit peculiariter ipsis Deus, qui & spiritu suo confirmauit, vt Micheæ 3. v. 8. dicitur: Et ipso euentu prædictio-

num & autoritatem ipsorum tandem confirmauit, & mendacia pseudoprophetarum refutauit, & eos multis miraculis ornauit: vt videre est in tota historia Eliæ & Elisei à ca. 13. 3. Reg. ad 13. 4. Reg. Et eos interdum miraculosè defendit, vt prophetam contra Ieroboam prophetantem, & Eliam contra Achabum. Et pseudoprophetas interdum repreßit, vt Hananiam. Ierem. 28. v. 8.

Hinc igitur nos etiam exemplum patientiæ & spei capiamus, vt patienter etiam difficultates muneris, si quæ erunt, sicut erunt, patiēter feramus: vt monet Christus ipse Matth. 5. v. 12. Beati eritis cùm cōuitiati fuerint vobis, & vos persequuti fuerint: ita enim persequuti sunt Prophetas qui fuerunt ante vos. Et Iacobus cap. 5. v. 10. Sumite fratres mei pro exemplari afflictionis & patientiæ prophetas, qui loquuti sunt in nomine Domini. Atq; hæc de difficultatibus & periculis muneris prophetici.

QVARTVM.

De Scriptis & Concionibus Prophetarum.

Libri Prophetarum posteriorum Hebræis tertiam Bibliorum partem constituunt, & quatuor numerātur: nempè liber Esaiæ, liber Ieremiæ, liber Ezechielis, qui tres prophetæ maiores dicuntur, propter librorum prolixitatem. Et quartus liber duodecim prophetarum, qui minores dicuntur, propter breuitatem, & ideo in vnum volumē coniuncti sunt, quòd propter breuitatem, singuli iustum volumen implere non possent, nec proinde facilè seorsim conseruari. Latini verò tribus maioribus addunt & subiungunt Danielem, qui ab Hebræis in quarta Bibliorum parte collocatur.

Conciones autem propheticas non tantùm viua voce Prophe-

Prophetarũ propositas, & pronũciatas, sed etiã Dei mandato ab ipsis prophetis scriptas aut dictatas, prophetæ ipsi testes sunt. Vt Esaias cap. 8. v. 1. Et Ierem. 30. v. 2. & 51. v. 6. Et Abacuch ca. 2. v. 2. ¶ Et finis mandati diuini & scriptionis exprimitur, Esaiæ. 30. v. 3. Et Ieremiæ. 36. v. 2. Nempe vt conciones propheticæ scriptæ, posteritati seruiant, & sint testimonium misericordiæ diuinæ, & peruicatiæ humanæ, & vt earum lectione posteri ad pœnitentiam excitentur.

Existimant autem quidam singulas conciones à prophetis, postquam ad populum habitæ essent, seorsim scriptas, & publicè deinceps propositas, & valuis templi affixas, vt omnibus legendæ paterent, ac deinceps post dies aliquot à ministris templi allatas, & in thesaurum repositas, vt perpetuum eius rei monumentum extaret. Atq; inde libros prophetarum postea confectos esse: quod ex loco Esaiæ cap. 8. v. 1. Et Abacuch. 2. v. 2. colligi posse videtur. Et ex eo quod ordo temporis non semper exactè in libris Prophetarũ seruetur: vt paulò pòst dicemus.

Vt autem conciones propheticas omnes rectiùs & faciliùs adhuc intelligamus, de earum materia, ordine, & sermone pauca admonebimus. Inuẽtione, Dispositione, & Elocutione.

DE MATERIA CONCIONUM Propheticarum.

QVòd vna & eadem sit concionum omnium propheticarum in genere, & quænam ea sit, suprà est dictum, cùm de officio prophetico ageretur: hîc ergo tantùm de argumentis, quibus doctrina à prophetis tractatur, illustratur & inculcatur. Prophetæ igitur primum & præcipuè autoritatis argumento vtuntur, id enim in sacris literis præcipuũ est. Autoritatẽ autem primum diuinã allegãt Prophetæ, vnde toties apud illos legitur: Et Iehoua loquutus &

os Iehouæ loquutus est. Deinde autoritatem à Mose repetunt. ut Malachiæ 4.v.4. Et Esaiæ 30.v.9. Vide suprà de primo officio prophetico proprio.

Post autoritatem autem, alijs etiam argumentis illustrioribus è medio petitis vtuntur: inprimis cùm cultum veri Dei commendant, & idola reprehendunt, vt exempli caussa.

Caussæ efficientis. Esaiæ 63. Deus pater noster est, ergo miseretur nostri. Esaiæ 44. v.9. & deinceps, faber est Autor Idoli, ergo idolum non est Deus.

Materiæ: vt eodem loco, cap.5.v.14. Idolum est lignum & lapideum.

Finis: vt Esaiæ 10. capit. Si audieritis bonum terræ comedetis.

Effectorum: vt Esaiæ 42. Iehoua est creator cœli & terræ, & annuntiat futura: Ergo Iehoua est Deus. Idola autem non creauerunt cœlum & terram, ergo non sunt dij.

Adiuncti: vt Malachiæ 1.v.6. Si ego sum pater vester, vbi est honor mei? si dominus, vbi timor mei?

Comparatorum: vt Esaiæ 1.v.3. Cognouit bos possessorē, & asinus præsepe domini sui, Israël non cognouit me.

Similium, quo argumento sæpissimè vtuntur Prophetæ, vt Esaiæ 1.v.18. Et cap.7.v.2. & alijs multis locis, &c.

Atq; hinc parabolæ existunt, quæ sunt longiores similitudines, qualis est illa diuina Esaiæ 5. Atq; hæc de materia concionum propheticarum.

DE ORDINE.

Ordo alius est librorum, alius concionum singularium. Libri præsertim longiores plures conciones eiusdem Prophetæ diuersis temporibus habitas & propositas, interdum & historicas narrationes & cantica & preces

conti-

continent. In his ferè ordo historicus: id est, temporis seruatur, vt apparet Esaiæ 6.7.& 37. Sed tamen hic ordo non semper omnino seruatur: vt videre est Ieremiæ 35.& 36, Et hic non semper diuersæ conciones discerni facilè possunt, nisi vbi à Prophetis ipsæ distinctæ sunt.

Quod ad concionum singularium ordinem attinet, is interdum accuratior est, interdum liberior. Cùm accuratiùs ordinem seruant Prophetæ, ferè à lege incipiunt, & in Euangelium desinunt, & hoc ferè ordine conciones texunt.

1. Accusant & prætendunt peccata.

2. Quid faciendũ sit docent, & legem Moysis inculcãt.

3. Beneficia Dei erga populum commemorant & ingratitudinem ei exprobant.

4. Comminantur, & prædicunt pœnas.

5. Hortantur populum ad pœnitentiam.

6. Proponunt & promittunt spem veniæ, & remissionis peccatorum.

7. Inprimis autem promissionem de Messia venturo inculcant.

8. Pœnarum & calamitatum, vel mitigationem, vel finem certum & lætum exitum prædicunt, & promittunt, & simul hostibus Ecclesiæ & impiorum insultant.

Liberior autem ordo est cum prophetæ comminationes & consolationes subinde repetunt, & inter se miscent, vt cùm impios accusant, repentè ad pios consolando delabuntur, ac rursum paulò pòst sermone ad impios conuerso eos accusant, qua in re auditorum ingenia, & varietatem, respicere videntur. Cùm enim pijs simul & impijs concionentur, nunc ad hos, nunc ad illos sermonem & doctrinam dirigunt, & accommodant, quin & interdum Prophetæ verborum aliqua similitudine sententias coniungunt, vt paulò pòst dicemus.

Non est igitur ordo accuratus & logicus prorsus semper in Prophetis requirendus: sed oracula spiritus Sancti ipsa per se quouis loco posita diligenter consideranda & expendenda sunt.

DE SERMONE PROPHETICO.

Sermo Propheticus partim planus & apertus est, qualis est in narrationibus historicis, Mosis, Iosuæ, Iudicum, Regum, &c. partim & quidem magis, grandis & figuratus, qualis in Psalmis plerisque & canticis seu carminibus. Cùm enim Prophetæ de maximis rebus agant, parem etiam dictionem adhibent. Cumque res ipsis esset cum populo peruicaci & stupido, ad stuporem & veternum eius expugnandum, oratione acri, vehementi, & copiosa opus erat. Cumque de ijsdem rebus subinde apud populum dicendũ esset, magna orationis copia & varietate opus erat. Vnde & Prophetæ ipsi à Deo ad munus propheticũ vocati, ferè infantiam suam excusarunt. vt Exod. 3. v. 11. & cap. 4. v. 10. & 13. Et Ieremiæ 1. v. 6. & 8. apparet: qua excusatione significarunt eloquentiam & facundiam ad munus propheticum obeundum esse necessariam. Itaque & ipsi prophetæ ad munus illud authoritate diuina pertracti, concionando & scribendo verius multo & efficacius quàm Pericles ille Atheniensis, si sacra profanis conferenda erunt, tonabant & fulminabant. In scriptis enim suis omni argumentorum & figurarum genere, omnique verborum & rerum copia, cùm opus est vtuntur. Et amplificationes & exornationes elegantissimas & vehementissimas adhibẽt. vt exempli causa: Cùm excidium vrbis alicuius prædicunt, non simpliciter affirmant vrbem perituram esse, sed omnibus argumentis & figuris excidium describunt, causas commemorant excidij,

nempè

nempè populi peccata, & hostes, tum hostiū expeditionem, aduentū, potentiā, rei militaris peritiā, seueritatem, arma, equos depingunt. Præterea vrbis obsidionē, expugnationē, direptionem, vastationē. Postremò perpetuā solitudinē & vastitatem depingunt, vt paßim apud Prophetas videre est, ac rursum eodem modo, cùm Ecclesiæ defensionem aut liberationem diuinam prædicunt, omnia argumenta & figuras adhibent.

Vtq; oratio sit acrior & ardentior etiam ad rem augendam ab hyperbolis non abstinent, quod & Moses ipse facit. vt Deut. 1. v. 28. cùm dicitur: Vrbes magnæ & munitæ vsq; ad cœlum. pro quo Num. 13. v. 29. dicitur: vrbes munitæ & magnæ admodum. Et Dauid de magna tempestate loquens Psal. 107. v. 26. Ascendunt ad cœlos, & descendūt vsq; ad abyssos. Quales figuras Augustinus in libris de doctrina Christiana obseruauit & annotauit. Et Erasmus de ratione veræ Theologiæ.

Et quoniam idem ferè est concionum propheticarum Argumentum, ne doctrina eadem sæpiùs inculcata, fastidium pariat, ita diuersis verbis, phrasibus, tropis, figuris, argumentis rem eandem variant, vt non videatur eadem esse: nūc verbis proprijs & vsitatis, nunc figuratis, nunc simplici orationis habitu, nunc figurato vtuntur. Vnde & Hoseæ 12. v. 10. dicitur: Multiplicaui visionem, & per Prophetas similitudines proposui: id est, omni docendi & dicendi genere, simplici & figurato, ad vos docendos & monendos per prophetas vsus sum. Et vox parabolæ seu prouerbij & ænigmatis in genere pro sermone figurato & grandi vsurpatur. Et parabolicè loqui pro figuratè loqui, & grandi oratione vti. vt Num. 23. v. 7. & 24. ver. 3. & 48. v. 5. & 77. v.

In Prophetis igitur omnium Argumētorum, Troporum, & Figurarum exempla illustria extant.

DE SERMONIS PROPHETICI OBSCVRITATE.

ETsi oratio Prophetica sui temporis hominibus perspicua & aperta fuit: tamen nobis Hebraicè præsertim imperitis interdum obscurior est, idq́; partim propter res, partim propter verba.

Ex rebus obscuritas est, quòd vel ordo concionum non semper appareat, & occulti fiant & subiti ex vna concione in aliam transitus. Vel quòd rerum quarundam mētio fiat, quæ vel mutatæ sint, vel prorsus perierint: vel quòd frequētes & subitæ ad Mosen, & historias veteres allusiones fiant: vel deniq; quòd de rebus arcanis & supra captum nostrum positis concionentur Prophetæ.

Verborum obscuritas ex linguæ Hebrææ Grammatica, & Rhetorica propria: id est, propria loquendi consuetudine, est: vt enim sua cuiq; linguæ propria & peculiaris loquendi consuetudo est: Ita & Hebrææ, quæ ab ijs, qui Hebraicè non didicerunt, non intelligitur. Ea consistit in propria Syntaxi, in propria Phrasi, in proprijs Tropis, cuiusmodi constructiones & figuras multas Augustinus in libris de loquutionibus colligere ex veteri versione non est grauatus. Et extat liber de phrasibus Hebræis à Roberto Stephano editus, vtilis admodum hac de re.

In primis autem in orationis habitu, obscuritas est, quæ oratio ferè μιμητικὴ est, & proinde nō solùm numeros & tempora, sed etiam personas mutat. Aliquando enim de populo pluraliter, aliquando singulariter, vt de viro vno loquuntur prophetæ. Deinde subinde præteritum pro futuro, & cōtrà vsurpatur. Postremò, quod maximè mirū est, sæpè & subitò personas mutāt, vt à prima ad secundam, à secunda ad tertiam & contrà transeunt: quasi nunc Propheta, nunc Deus, nūc populus loquatur: vnde fit, vt oratio prophetica

non solùm carmini, sed etiam dialogo ex parte similis est.

Hæ igitur caussæ ferè sunt obscuritatis in cōcionibus propheticis, ad quam illustrandam hæc contra præsidia comparanda sunt.

1. Primum omnium Moses diligenter legendus est, vt intelligatur quādo eum citent Prophetæ, aut ad eū alludāt.

2. Deinde historia sacra vetus tota cognoscēda est, qualis fuerit Ecclesiæ & politiæ Iudaicæ status eo tempore quo Prophetæ prophetarūt, & quando ex historia repetant, aut ad historiam alludant.

3. Præterea prophetæ ipsi omnes legendi sunt & diligenter inter se conferendi, & similes conciones, & loquutiones obseruandæ & conferendæ sunt.

4. Porrò in primis consideranda est interpretatio prophetiarum apostolica, & obseruandum quando eos citent, vel ad eas alludant.

5. Ad hæc lingua Hebræa discenda & cognoscenda est, vt exempla loquutionum Hebraicarum ex narrationibus historicis colligenda sunt, & cum Prophetis conferenda.

6. Postremò, versio & interpretatio aliqua, adhibēda est, donec proprio marte progredi, & scripta prophetica intelligere poterit sacræ Theologiæ studiosus. Qua in re nos quantum possumus, discentium studia iuuare conabimur, & in scriptis propheticis interpretandis operam dabimus, primùm & præcipuè, & simplicem, veram & natiuam loci cuiusq; sentētiam, quam ipsa Grammatica gignit, inquiramus. Deinde vt genus sermonis, sicubi obscurum erit, interpretemur, & grāmaticè explicemus. Postremò vt sicubi vtile & commodum videbitur, de sententia & doctrina eiusquè vsu dicamus.

Atq; hactenus de Prophetis, eorum officio, difficultatibus, ærumnis & scriptis dictum est, nūc ad Hoseam accedamus.

FINIS PRÆFATIONIS.

ARGVMENTVM
IN HOSEAM.

HOseas præcipuè decem tribubus, seu regno Israëlitico concionatur, & suis concionibus cùm alia populi peccata, tum idololatriã inprimis accusat, quæ in eo regno conspectior esset, quod publicè à regibus contra legẽ Dei instituta esset & defenderetur, vt ex historia primi regis Israëlitici Ieroboam 1. Reg. 12. & Achabi 1. Reg. 16. notum est.

Deinde pœnas populo propter peccata prædicit & comminatur, nempè regni destructionem, exilium atq; captiuitatem, quæ & deinde sequuta est, sexto anno Ezechiæ, 2 Reg. 17. & ijs qui obstinati manerent, reiectionem à Deo, ijs autem qui sanabiles essent, spem veniæ proponit, eosq; ad pœnitentiam & nouæ vitæ institutionem propositis amplißimis promißionibus inuitat. Et in his multa de Meßia venturo, eiusq; regno, & beneficijs concionatur.

Etsi autẽ ordo concionum Hoseæ, vt & aliorum Prophetarum, non satis apertus est, tamen hic liber Hoseæ in sex conciones non incommodè diuidi posse videtur. Quarũ singulæ à lege initio facto in promißiones gratiæ desinãt, vt suo loco videbimus. Quarum tres primæ idololatriam præcipuè, cæteræ & idololatriam & alia peccata populi arguunt.

CAPVT

CAPVT PRIMVM HOSEÆ.

VERSVS PRIMVS.

VErbum Iehouæ quod fuit ad Hoſeam filium Beeri, tempore Vſiæ, Iotham, Achas & Ezechiæ regum Iuda: & tempore Ieroboam filij Ioas regis Iſraël.



ITVLVS eſt ſeu inſcriptio, ſeu proœmium libri totius, qui titulus non eſt negligenter prætereundus: multum enim ad conciones Hoſeę rectè intelligendas confert. Quatuor igitur hic titulus indicat, nempè,

1. Quod ſit doctrinæ genus.
2. Quæ ſit prophetici muneris authoritas.
3. Quis fuerit Propheta. &
4. Quo tempore prophetârit.

I. DOCTRINÆ genus indicatur, cùm dicitur: *Verbum ſeu ſermo Iehouæ*. Quo ſignificatur eam doctrinam quam adfert Propheta non eſſe ab ipſo excogitatam, ſed à Deo profectam, & inſpiratam. Quare etiam ſumma cum reuerentia, fide, & obediendi ſtudio audienda eſt.

II. AVTORITAS miniſterij prophetici indicatur, cùm dicitur: *Verbum Iehouæ ad eum factum eſt*. Significatur igitur Prophetam non ſua ſponte aut proprio inſtinctu ad id munus prouolaſſe, aut moroſitate quadam, vel ſtudio turbandæ trâquillitatis communis in ſcelera inuehi, ſed mandato diuino, cui repugnare non liceret ad hoc munus excitatum eſſe.

III. PROPHETA ipſe Hoſeas eſt, qui dicitur fuiſſe filius Beerij. Iudæi autem affirmant eos qui Patres Prophetarum in Scriptura dicantur, etiam fuiſſe Prophetas, cuius tamen

ſententiæ fundamentum in ſacris literis non extat. Nomẽ quidem ipſum, Prophetę vel Doctori congruit, quod ſignificat explicatorem ſeu declaratorem.

IIII. TEMPVS quo prophetârit Hoſeas, indicatur per nomina regum, quatuor quidem regum Iuda, vnius autem Iſraëlitici. Quæ temporis notatio plurimum ad Prophetiã intelligendam prodeſt, & admonet hiſtorias horum regum legendas & conſiderandas, vt melius propheta intelligatur, vbi conſtiterit, qualis fuerit eo tempore Eccleſiæ & Reipub. in regno præſertim Iſraëlitico ſtatus: quo tempore hæ Prophetiæ ſunt æditæ.

Extat autem horum regum hiſtoria, 2. Reg. 15. 16. 17. Et 2. Paralip. 26. 27. 28. 29. Ieroboami autem 2. Reg. 14. Vnde intelligi poteſt, primum Prophetam munus ſuum auſpicatum eſſe eo tempore, quo regnum Iſraël maximè floreret. Ieroboã enim rex felix & fortunatus fuit, & diu regnauit, repreſsit Syros, & recuperauit vrbes à prioribus regibus amiſſas: quo tempore ingratum admodum erat, mentionem famis, calamitatum, & vaſtationis regni, ac perdifficile ea perſuadere. Et eiuſmodi cõciones & admonitiones à ſeuero & ſuperbo rege ac populo facilè contemni & rideri poterant: quæ res tamen Prophetam non abſterruit, quo minus officium faceret, & quid futurũ eſſet præmoneret.

Deinde ex hac temporis mentione intelligi poteſt, quos habuit Propheta in munere ſuo collegas & ſocios: habuit enim Amos Prophetam collegam in regno Iſraël. Eſaiam autem & Micheam ſocios in regno Iudæ, vt ex titulis eorũ librorum apparet.

Poſtremò, hinc intelligi poteſt, Hoſeam longo tempore docendi munere functum eſſe. Nam ſi numeremus annos quibus hi reges regnarunt, comperiemus illum non pauciores annos quàm 57. in munere ſuo conſumpſiſſe. Nam vt concedamus Hoſeam non ante vltimum Ieroboami annum propheticum munus obijſſe, & primo regis Ezechiæ anno curſum ſuum abſoluiſſe: tamẽ ad minimum anni fiũt

57. Sub

57. Sub Vſia enim docuit annos 25. quibus ille Ieroboã ſuperſtes regnauit, 2. Reg. 15. Sub Iotham 16. & ſub Achas totidem, qui ſimul collecti conſtituunt annos 57. Quod ſi autem his annis plures addantur, & Ieroboami & Ezechiæ regno, vt etiam faciundum eſſe videtur, emergit tẽpus quo docuerit Propheta annorum circiter 60. aut 70.

Propheta ergo hoc temporis ſpatio maximas in Repub. mutationes vidit: in regno Iudæ quatuor reges qui titulo nominantur, vidit in regno Samariæ ſeptem reges. Ieroboam ſecundum, cuius in titulo mentio fit. Sachariam, Sallum, Menehem, Pechaïa, Pecha, & Hoſeam vltimum. Et vidit & paſſus eſt Propheta interea multa morte triſtiora, & haud dubiè ſpectator fuit Propheta calamitatum vt vaſtitatis Patriæ, quam ipſe prædixit. Quare in Propheta exemplum eſt patientiæ & conſtantiæ in officio, & teſtimonium auxilij diuini, quod Deus eum tam diu protexerit, ne ab impia multitudine, aut regio ſatellitio opprimeretur.

TEXTVS.

Tempore.] In Hebręo eſt, *in diebus*: dies enim Hebræi frequenter pro annis & tẽporibus accipiunt, ſynecdochicàs.

Vſiæ.] Scilicet qui & Azarias dictus eſt, 2. Reg. 15. & 1. & 17. Quæ nomina ſignificatione ferè conueniunt: hoc enim auxilium Domini, illud fortitudinem ſignificat.

Ieroboam.] Cur vnum tantùm regem Iſraëliticum nominet, cùm ſeptem fuerunt, cauſſa certa reddi non poteſt: fortaſſe autem omittit cæteros, quod vel breui tempore regnârint ſinguli: vel quòd per reges Iudæ precipuè numerârint tempora Prophetæ:

Saul, Dauid, Solomon, Roboam: poſt Abia, & Aza.
Ioſophat & Ioram, Ochozechias, Ataliaq́.
Ioas, Amaſias, Oſias, Iotham & Achas.
Ezechias, Manaſſe, Amon, Ioſias, Ioacasq́.
Hinc Ioachim, Ioachen, Zedechias ultimus eſt rex.

VER-

VERSVS II.

Principium sermonis per Hoseam. Et dixit Iehoua ad Hoseam: Vade, accipe tibi vxorem scortationum, & filios scortationum, quia scortando scortabitur hæc terra, ne eat post Iehouam.

PRima concio est in qua primùm sub infamis scorti & liberorum eius imagine decem tribus, seu regnũ Israël, eiusque idololatriam depingit & accusat Propheta, & pœnas exilij, & captiuitatis comminatur. Deinde resipiscentes consolatur Propheta, & spiritualem Israëlis prolem numerosam fore affirmat.

Hic autem versus mandatum Dei ad Prophetam de vxore fornicaria seu meretrice ducenda continet: quod mandatum etsi nonnulli simpliciter, vt verba sonant, intelligi volunt. Tamen rectiùs sentire videntur qui non historiam, sed visionem seu figuram & similitudinem esse volunt. Hoc enim dicendi genus non est nouum aut inusitatum, sed familiare Prophetis, vt nuditas Esaiæ, cap. 20. & obsidio prophetica quæ describitur Ezechiel. 4. Et iubetur Propheta non solùm meretricem vxorem ducere, sed etiam liberos adulterinos ex ea procreare, quod in legitimo coniugio fieri non potuit.

Est igitur potius visio, vel figura, & hypothiposis, qua iubetur Propheta apud populum vti, eaque idololatriam populi quasi in tabula depingere, & oculis conspiciendam proponere.

In hac autem allegoria seu similitudine, Propheta personam Dei sustinet, vxor fornicaria decem tribuum synagogam refert: quæ Deo primùm spirituali coniugio iuncta fuit, postea Gentium diis & idolis se prostituit, vt Propheta ipse interpretatur cùm ait: *Quia fornicando fornicatur terra.*

Principium.] in Hebræo est Ellipsis, quæ hoc modo explẽda est. Principium sermonis quem loquutus est Iehoua in Hosea. Prima enim vox in regimine ponitur nõ expresso regen-

regente. Quare ſubintelligēdum eſt חִדַּבֵּר ex verbo ſequente ר דִּ vnà cum relatiuo אֲשֶׁר.

In Hoſea.] Etſi litera ב varias habet ſignificationes, tamen hîc reddi poteſt, vel per *per*, vt ſignificetur miniſteriū Prophetæ: vel per *in*, vt ſignificetur internus afflatus, & Dei cū Propheta interna communicatio: vel per *cum*, vt colloquiū tantùm ſignificetur.

Et dixit.] Repetitio eſt vſitata Hebræis, aut ſenſus hic eſt, cùm primum Iehoua cum Hoſea loqueretur, ſic eum affatus eſt, vel hoc mandatum ei dedit.

Vade.] Mandatum eſt: q. d. Deus, hac ſimilitudine apud populum ad idololatriam accuſandam vtere.

Vxorem ſcortationum.] id eſt, meretricem: ſubſtātiuum enim adiectiui loco poſitum eſt more Hebręo, & numerus pluralis ad amplificationem facere videtur: vt notetur ſcortum publicum, infame, & obſoletum, quod & diu aſſueuerit ſcortationi, & non vni aut duobus, ſed omnibus paſsim ſeſe proſtituat. Quo ſignificatur populū, non vno Idololatrię genere, ſed multis & varijs pollutum eſſe.

Filios ſcortationum.] id eſt, nothos. vel ex ea natos, quæ meretrix fuerit. Cùm enim in legitimo matrimonio nati eſſe intelligantur, non poterāt reipſa adulterini eſſe. Significat autem Propheta his verbis totam ſobolem & progeniem Iſraëlitarum eſſe adulterinam: id eſt, pollutam & contaminatam cultu idololatrico.

Quia ſcortando ſcortabitur.] Explicatio eſt Propoſitæ ſimilitudinis. Repetitio autem vim habet exaggerandi, qua idolomania populi exaggeratur. Futurum autem pro præſenti ponitur, & continuum actum ſignificat, q. d. grauiſsimè & turpiſsimè ſcortantur: id eſt, cultu idololatrico ſe polluunt & contaminant. Vſitatum enim Prophetis eſt, per ſcortationem & adulterium idololatriam ſignificare.

Hæc terra.] Metonymia eſt pro terræ incolæ, ſeu Iſraëlitæ.

Ne eat poſt Iehouam.] In Hebræo eſt, ſcortabitur hæc terra, de poſt Iehouam. Vbi ruſum ellipſis eſt, quæ cōmodo ver-

bo vel participio ſupplenda eſt, hoc modo. Fornicatur terra auerſa, vel deficiens à Iehoua: id eſt, colit idola & deſerit Iehouam verum Deum.

VERSVS III.

Et iuit & accepit Gomer, filiam Diblaim, & concepit, & peperit ipſi filium.

MAndati diuini exequutio eſt, ſeu mandato ſimilis, nempe typica, ſeu allegorica, quòd vel hæc facere viſus ſit Propheta. Vel quòd ſic, ſe feciſſe dixerit ad populum, vt eum hoc typo accuſaret. Quod enim Propheta meretricem vxorem duxerit, hoc ſymbolo ſignificatur, Deum (cuius perſonam Propheta gerit) olim populum Iſraëliticum delegiſſe, & quaſi matrimonio iunxiſſe, vt viciſsim ab eo quaſi à ſponſa & vxore diligeretur, & ſanctè, & caſtè coleretur. Cùm antea eius populi maiores idololatræ fuiſſent, & populum tamen eo beneficio nihil motum ſcortatum rurſum eſſe, & Idola coluiſſe.

Vt autem illuſtrior ſit allegoria, exprimitur nomen meretricis, & patris eius, ſed in his ipſis tamen nominibus quiddam quod ad rem præſentem attineat, latere videtur. Vt in nominibus libẽter etiam ludunt & ijs orationem ornant Prophetæ. *Gomer* itaque conſumptionem ſeu interitũ ſignificat à verbo גָּמַר defecit. *Diblaim* verò maſſas ficuum. Significatur igitur excidium & interitum, filiam fore voluptatum & delitiarum: id eſt, regnum Iſraëliticum iam beatum & florens, paulò pòſt ruiturum eſſe, vt paulò pòſt apertè Propheta addit.

Etſi autem ſignificatio in his nominibus ſubeſſe videatur: tamen etiam fieri poteſt, vt Propheta ad nomen meretricis notæ & celebris in eo regno alludat, cui populum & impiam Synagogam comparat Propheta.

VERSVS IIII.

Et dixit Iehoua ad me, voca nomen eius Iiſrehel, quo-

niam

niam adhuc exiguũ, & visitabo sanguines Iisrehel, aduersus domum Iehu: & cessare faciam regnum domus Israël.

IN duob. versibus accusatio fuit idololatriæ, sequitur nũc pœnarum cõminatio. Vt enim meretricis symbolo populus idololatra accusatur: Ita liberorũ meretricis symbolo ex nominibus pœnæ præcipuæ intelliguntur & exprimuntur. Peccati enim soboles pœna & mors est, vt 1. cap. v. 15. Iacobi dicitur. Vnde etiam magis intelligi potest, hîc nõ tàm rem gestam describi, quàm quasi gestam, & typum potius atque figuram quàm historiam esse, quod liberis Prophetæ & meretricis nomina indantur ad pœnas publicas significandas.

Cùm autem iubetur Propheta primum filium Iisrehelem appellare, primum hîc pulchra Paronomasia est. Confertur enim aut potius opponitur nomẽ Iizrehelis, nomini Israëlis, quo nomine se in primis efferebant decem tribus, seu regnum Israël.

Israël enim cognomen erat Iacobi, quod ei diuinitus inditum erat, quod cum Deo congressus in lucta superior fuisset. Israël enim is est, qui Deo fortior est. Gen. 32.

Deinde autem pro tota posteritate Iacobi accipitur Israëlis appellatio. Postremò, tandem hoc nomen toti posteritati Iacobi commune, decem tribus post regnum diuisum ad se priuatim transtulerunt, eoque sese contra duas tribus regni Iuda efferebant, quasi illi soli veri essent posteri Iacobi, & veri Dei cultores, & apud eos solos vera esset Ecclesia.

Iizrehel verò nomen loci erat, seu vallis, seu eius qui vallem illam possederat, & loco nomen suum post se reliquerat. Tum & vrbis in ea valle conditæ, quæ in tribu Isaschar ad ripã fluminis Pthison sita erat. Samaria enim & Iizrehel duæ erant sedes regiæ in regno Israël: illa Ierosolymæ vicinior, vt quæ decem ferè milliaria tantùm ab ea distaret:

hæc verò ab eo remotior, ad milliaria ferè 15.

In hac vrbe rex impius Achab aulæ sedem habuit, 3. Reg. 18. vbi & Naboth ciuem eius vrbis, quod vineā suam ei negasset interficiēdum curauit, propter quod peccatum filius eius Ioram paulò pòst in eadem ciuitate, mādato Dei cum matre & tota familia interficitur, 2. Reg. 9. & 10. Propheta igitur nomen Iizrehelis, nomini Israëlis opponit, & illud filio suo iussu Dei indit, duplici de caussa.

I. Vt peccatum populi notet, nempè quòd sint non Israëlitæ, vt ipsi dici volebant: id est, veri Dei cultores, sed Iizrehelitæ: id est, impij & scelerati regis Achabi posteri, & æmuli, adeoq; eius similes Idololatræ.

II. Deinde vt hoc nomine pœnas regiæ stirpi & toti regno minetur Propheta, & quidē eiusmodi qualibus in vrbe Iizrehel filius Achabi, cū tota posteritate affectus est: id est, cædem, excidium, & interitum, quò pręcipuè appellatio spectare videtur. Sic enim Propheta ipse hoc interpretatur, cùm ait: *Quoniam & adhuc paululum & uisitabo sanguines Iizrehel super domum Iehu, & cessare faciam regnum domus Israël.*

His igitur verbis Propheta primùm stirpi regiæ, deinde & regno toti pœnas minatur. Stirpi regiæ minatur cùm ait: *Visitabo sanguines Iizrehel super domum Iehu.* Quibus verbis & regiam stirpem Iehu delendam esse affirmat, & simul caussam eius rei addit. Per sanguines enim Iizrehel, cædem illam intelligit, qua Iehu Ioram filium Achabi prope Iizrehelem cum tota posteritate deleuit, vt modò diximus. Eius igitur cædis se vltorem fore affirmat Deus: etsi enim iussu Dei ea cædes perpetrata fuit à Iehu, tamē cum Iehu deinceps eam cædem non ad gloriam Dei, & idololatriā tollendam, sed ad potentiam potius & tyrannidem suam confirmandam & stabiliendam vsurparit, Deus hîc quasi iniussu suo factam reprehendit & accusat. Ideo enim Deus præcipuè posteritatem Achabi à Iehu deleri voluit, vt ea sublata religionem repurgaret, idololatriam vitulorum & Baalim tolleret, & verum Dei cultum ex lege Mosi restitueret. Sed Iehu cum

rerum potiretur Baalim quidem cultum sustulit, quem Achabus introduxerat, sacerdotes eius interfecit, & templũ in latrinas redegit: sed cultum vitulorum à Ieroboamo primo rege institutum non sustulit: quod hic cultus regni eius neruus præcipuus contra regnum & reges Iudæ esse videretur. Cùm igitur Iehu, Dei mandatum non per omnia exsequutus sit, nec cum stirpe regia impia simul etiã idololatriam prorsus exstirparit: factum eius improbat, & pro homicidio & latrocinio reputat, & pro eo grauissimas à posteritate Iehu pœnas repetiturum affirmat, quod & accidit; nam Sacharias filius Ieroboami, cuius hîc in titulo mentio facta est, abnepos regis Iehu à Salum interfectus est, vt scribitur, 2.Reg.10.v.30. Et cap.15.v.12. Quæ historia vt rectius intelligatur, series regum Israëliticorum hîc obiter obseruanda est, quæ sic habet:

Ieroboam.	*Nadab.*	*Baassa.*
Ela.	*Simri.*	*Vmri.*
Achab.	*Ahasias.*	*Ioram.*
Iehu.	*Ioachas.*	*Ioas.*
Ieroboam.	*Sacharias.*	*Salum.*
Menahem.	*Pecaïa.*	*Pecha.*
	Hosee.	

Hæc igitur loquutio *Sanguines Iizrehelis*, nõ tãtùm cædem à Iehu perpetratam significat, sed etiam idololatriã à Iehu post cædem conseruatam complectitur, & pœnæ etiam similitudinẽ innuere videtur. Pœna igitur stirpis regię eiusq; caussa sic indicata fuit, cui ideo specialiter minatur Propheta, quòd reges præcipuè idololatriam fouerent & tuerentur. Regno autem toti minatur Propheta, cùm ait: *Et cessare faciam regnum domus Israël*: id est, per hostes externos destruam & delebo regnum Israëliticum, quod exemplum suorum regum in idololatria sequitur: id quod & accidit, cùm Salmanassar Assyriorum rex totum regnũ occupauit,

&regem cum populo captiuum in Aſſyriam abduxit, vt ſuprà etiam in argumento diximus. vide. 2. Reg. 17.

Quia adhuc exiguum, & uiſitabo.] Hebraiſmus eſt, pro, breui viſitabo. *Viſitare* autem ſpecialiter Hebræis ſignificat punire & vlciſci, præſertim ſequẽte particula אֶל: id eſt ſuper vel aduerſus: vt Exod. 34. v. 7. Viſitans iniquitatem patrum ſuper filios. *Sanguis* autem Metonymicῶs pro cedę & homicidio accipitur: *Viſitare* igitur *ſanguines*, eſt cædem & homicidium punire.

Et ceſſare faciam.] Hebraiſmus eſt ex verbo hiphil, pro delebo & abolebo.

VERSVS V.

Eritq́ in die illa, frangam arcum Iſraël, in valle Izrehel.

REpetit eandem ſententiam de regni excidio figuratè, rei exaggerẽdæ cauſſa: cùm enim regnum Iſraëliticum ſub Ieroboamo floreret, & potens admodum eſſet, non poterãt facilè credere, atque in animum inducere breui hoc regnum delendum eſſe. Quare Propheta hoc diligentiùs inculcare conatur: & affirmat & regnum breui euertendum & omnia præſidia quibus confidebant: arcuũ enim & ſagittariorum magnus olim in bello uſus fuit. *Conterere* igitur ſeu *frangere arcum*, eſt arma & præſidia omnia inutilia reddere.

In die illa.] id eſt, cùm tempus aduenerit vindictæ.

In ualle Izrehel.] hunc locum nominat Propheta, quòd nomini Iſraëlis reſpondeat, propter paronomaſiam, quæ hîc illuſtrior eſt, tum etiam quod cùm Izrehel etiam regni Metropolis eſſet, (vt antè diximus) eã præcipuè hoſtes petere, & eo proinde vires regni contrahi ſolerent. Sed Synecdochicῶs per eam totum regnum intelligi videtur. Nam aliàs Samaria altera Metropolis obſeſſa fuiſſe triennium à Salmanaſſere ſcribitur, qua capta regnum in poteſtatem eius venit,

venit, 2. Reg. 17. de qua infrà ca. 14. v. 1. dicitur: Desolabitur Samaria. Quamquam etiam nõ dubium est Izrehelem vnà cum Samaria ab hostibus occupatam esse.

VERSUS VI.

Et concepit adhuc peperitq́, filiam: Et dixit ei: voca nomen eius Lorychamah, quoniam non addam amplius, vt miserear domus Israël, sed tollendo tollam eos.

PErgit Propheta in comminatione pœnarum, quas filię appellatione exprimit. Affirmat enim per Prophetam Deus, se non tantùm regnum euersurum, sed etiam populum sine misericordia abiecturum esse, & quasi exhæreditaturum, vt liberos degeneres: ne videlicet vnquam ab exilio in patriam reuertantur & regnum instaurent, quod & accidit. Nam Israëlitę exules nunquam in Patriam reuersi sunt, aut etiam eorum paucissimi, ideoque filiæ nomen indere iubetur. *Lorychamah*: id est, non adepta misericordiam, seu quæ nullam consequeretur misericordiam.

Vt igitur suprà nomen filij ex historia sumptum esse videtur, ita hîc filiæ nomen ex reipsa sumitur: quo modo & filius Esaiæ ex re appellatur. Esaiæ. 8. v. 2. & 3. Cùm dicitur: Accessi ad Prophetissam, quæ concepit & peperit filium: & dixit Iehoua ad me: Voca nomẽ eius Mahersalal Chasbas: id est, accelera ad deripiendum, festina ad prædam, seu celerispolium, velociprædæ.

Quia non adijciam amplius.] Ratio & interpretatio appellationis negatiuè & affirmatiuè. Est autem phrasis Hebraica non addam amplius vt miserear, pro, non amplius miserebor: id est, non amplius amore & fauore eos prosequar, nec posthac tuebor & defendam eos. Misereri enim & diligere pro effectis misericordiæ & dilectionis ponitur: simulq́; his verbis significatur Dei tollerantia & patientia, qua diu populum impium & refractarium & tollerauit & multis beneficijs affecit.

Sed tollendo tollam.] pœna affirmatiuè exprimitur. Etſi autem hæc verba variè redduntur: tamen ſi ſcripturam Hebræam & Grammaticam ſequimur, ſenſus eſſe videtur quẽ expreſsimus, nempe *tollendo tollam ipſos*: id eſt, ex regno & ſedibus paternis eiectos abijciam: ea enim verborum Hebræorum natura eſt, vt non tãtùm primam actionem ſignificent, ſed etiam ea quæ conſequuntur. Sic tollere נָשָׂא non tantùm leuare ſignificat, ſed etiam leuando abijcere: Quæ enim abijcere volumus, primùm leuare ſolemus. Sed nun in pronomine quod verbum ſequitur, caſus Enallage eſt: ponitur enim Datiuus לָהֶם ipſis, pro אוֹתָם ipſos, vt aliàs etiam fieri ſolet. In hoc autem verſu rurſum paronomaſia eſt in voce רֻחָמָה & verbo אֲרַחֵם.

Versvs vii.

Sed domus Iuda miſerebor, & ſeruabo eos per Iehouam Deum ipſorum, & non ſeruabo eos arcu, aut gladio, aut bello, aut equis, aut equitibus.

Antitheſis eſt & collatio à contrarijs: vt Iſraëlitas ſine ſpe veniæ abijciet, ita Iudæos miſericordia ſua complectetur, proteget & defendet Deus.

Præſtitit autem Deus miſericordiam Iudæis, quod & tempore Ezechiæ anno octauo poſt destructum regnum Iſraëliticum eos miraculosè contra regem Aſſyrium Senacheribum defenderit: & regnum Iudæ ab Ezechiæ tempore ad Sedechiam vſque annos amplius centum conſeruârit. Poſtremò quòd eos ex captiuitate Babylonica, in patriã & regnum cupitum reduxerit: cùm interim Iſraëlitæ maturè & victi & capti ſint, & nunquam ab exilio ad regnum inſtaurandum redierint, vt ſuprà diximus: hac igitur collatione non tàm Iudæos iuſtificat & ab omni culpa liberat Propheta, quàm Iſraëlitas accuſat, & eorum ſuperſtitiones damnat, & eorum ſuperbiam retundere, eoſque æmulatione Iudæorum ad pœnitentiam & gratiam Dei quærendam excitare

excitare conatur. Etsi enim Iudæi suos etiam næuos haberent, vt ex concionibus Esaiæ apparet: tamen cultum Dei puriorem adhuc publicè retinebant, neque ex professo Idololatræ erant, vt Israëlitæ, quod per collationem ipsis exprobat Propheta.

Deinde cùm Israëlitæ instructi opibus & armis magnificè de se sentirent, & Iudęos & infirmiores omnes prę se cōtemnerent. Monet Propheta, vt modestè de se sentiant, & potius se ad exemplū Iudæorū in religione cōponerent, aliàs enim futurū, vt saluis Iudæis, ipsi pereant & deleantur.

Cùm verò addit Propheta Iudæos non præsidijs aut cōsilijs humanis, sed diuina gratia & virtute conseruatum iri, alia Antithesis est, qua primùm peruersam confidentiam Israëlitarum refellit, qui armis & opibus magis quàm Dei gratia confiderent.

Cùm verò addit Propheta: *Et seruabo eos per Iehouam Deum ipsorum, & non seruabo eos arcu*, &c. Caussam exprimit propter quam & per quam Iudæi conseruandi, & Israëlitę perdendi sint: nempe quod illi veram adhuc doctrinam & cultum Dei retinerent, Deumq; verum publicè colerent, & in ipso spem collocarent, ab eoq; auxilium expectarent: itaq; futurum, vt etiamsi hostibus minimè viribus & potentia pares essent: tamen diuina ope & virtute contra eos defenderentur. Et si in eorum potestatem venirent: tamen liberarentur. Contrà verò cùm Israëlitæ deserto Iehoua idola colerent, & ab ijs magis quàm à Deo auxilium peterent, & expectarent, nec vllis Prophetarum monitis in viam redirent: Itaq; futurum, vt quamvis armis & opibus instructissimi essent: tamen ab hostibus in seruitutem redigerentur, & in exilium perpetuum è regno & patria eijcerentur.

Sed domus Iuda.] in Hebræo est, *Et*. Cùm enim Hebræi coniunctionibus non abundent, vt Græci & Latini, ideoque litera ו *vau*, quę voces & sententias coniungit, non tantùm pro copula, sed etiam pro aduersatiua seu discretiua, alijsq; coniunctionibus vtuntur.

Miserebor.] Id est, fauore & misericordia prosequar, defendam & liberabo, affectu etiam pro effectu posito, vt vers. proximo diximus, & synonymon sequēs, *seruabo*, declarat.

Per Iehouam.] Hebraicè est *in Iehoua*, vt Verus vertit: id est, per, ex natura præpositionis ב, quæ caussam & instrumentum indicat.

Vt autem אֵל seu אֱלֹהִים id est, fortis seu Deus appellatio est communis vero Deo cum idolis & Dijs Gentium: ita יְהֹוָה solius veri Dei, quem Iudæi colebāt, appellatio & nomen proprium fuit, quo à Dijs Gentium distinguebatur. Quod nomen à verbo הָיָה: id est, esse, factum proposita litera seruili י iod, nominū propriorū initio characteristica: quòd Deus solus verè & perpetuò sit: vide Exod. capit. 3. & 6. & Deut. 4. & 6.

Iehoua autem hoc loco simpliciter antecedens esse videtur, pro relatiuo positum, vt sit sensus: Ego Iehoua seruabo eos per Iehouam: id est, per me ipsum, seu mea virtute & potentia: opponitur enim hîc simpliciter virtus, potentia, & auxilium diuinum præsidijs humanis. Et antecedens loco relatiui ponere Hebræis non est insolens, quæ phrasis quoniam Latinis mira videri potest, pauca exempla de ea adducemus.

Gen. 19. v. 24. pluit Iehoua super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem, à Iehoua è cœlis.

1. Samuel. 1. v. 21. Quia manifestauerat se Iehoua Samueli in Silo, in verbo Iehouæ: id est, per verbum suum.

1. Reg. 8. v. 1. Tum conuocauit Solomon seniores Israël, ad regem Solomon: id est, ad sese.

1. Reg. 12. v. 21. Venit Ieroboam Ierusolymam & congregauit vniuersam domum Iuda, vt reduceret regnum ad Ieroboam filium Salomonis: id est, ad sese.

Luc. 3. v. 19. Herodes cùm argueretur à Iohanne, de omnibus malis quæ fecerat Herodes: id est, ipse.

Iohan. 4. v. 1. Vt autem cognouit dominus quod audiuissent Pharisæi quòd Iesus plures Discipulos faceret, quàm

Iohannes. Iesus: id est, ipse scilicet Dominus.

Et 13. v. 38. Pilatus venit ad Iudæos & dicit: Vultis dimittam vobis regem Iudæorum: id est, vestrum.

2. Timoth. 1. v. 18. Det tibi Dominus vt inueniat misericordiam apud Dominum in die illo: apud Dominum: id est, apud sese.

Phrasis igitur sic est: Quanquam autem hæc simplex sententia est, quam gignit Grammatica: tamen etiam nomine Iehouę comprehendi hoc loco potest Mesſias, qui & verus Deus, & Ecclesiæ rex, defensor & propugnator, qui aliàs in promisſionibus per se exprimitur, præsertim nomine Dauidis: vt Esaiæ 37. v. 35. In historia de Ierusolyma diuinitùs defensa contra Senacheribum regem, protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum: propter Dauid: id est, Dauidis filium Mesſiam seu Christũ.

Et infià cap. 3. v. 5. dicitur: Postea reuertentur filij Israël, & requirẽt Iehouam Deum suum, & Dauidem regem suũ. Dauidem: id est, Dauidis filium Mesſiam.

Deum ipsorum.] id est, quem Iehouam illi pro Deo habent & colunt adhuc publicè, & à quo defensionem & liberationem expectant, contra quam Israëlitæ faciunt.

Et non.] Altera Antithesis, pro, non autem: vide suprà in voce prima huius versus.

Arcu.] In Hebræo est in arcu: vt in Iehoua: vide suprà.

Est autem hîc amplificatio per enumerationẽ præsidiorum & instrumentorum bellicorũ, pro quibus versu quinto tantùm arcum nominauit. Et in tribus primis vocibus singularis est pro plurali. Bellum autem pro instrumentis bellicis hîc accipi videtur Metonymicõs.

VERSVS VIII.

Et ablactauit Lorychamah, & concepit, & peperit filium.

VERSVS IX.

Et dixit Deus, voca lo ami: (*id est*, non populus meus) *quoniam vos non* (estis) *populus meus: & ego non ero vester* (Deus.)

TErtiæ pœnæ comminatio est, & vltimæ atque perpetuæ abdicationis & abiectionis denunciatio, sub nomine tertiæ sobolis. Tres autem liberi nominantur ad pœnarum certitudinem & magnitudinem significãdam. Soboles autem vtriusque sexus nominari videtur, vt significetur vtrumque peccasse & puniendũ esse. Vocatur igitur hic filius *Lo ami*: id est, non populus meus, ex re ipsa: quo significatur Deum Israëlitas non pro suo populo, sed pro ethnicis & Gentibus profanis habiturum, seque eos quasi filios degeneres & contumaces prorsus abdicaturum & exhæredaturum.

Vester.] In Hebræo est vobis pro vester, more linguæ: & subintelligendum est Deus.

Et hîc rursum paronomasia est, aut potius vocis eiusdem repetitio, in vocibus לֹא עַמִּי, & לֹא עַמִּי. Ablactandi verbum non opus esse videtur hîc ad rem significatam accommodare: neque enim similia per omnia congruunt, aut in omnibus sunt cum re conferenda.

Hactenus igitur per vxorem Hoseæ meretricem populus Idololatra depictus est, & per tres eius liberos, eorumque nomina pœnæ horrendæ expressæ sunt, nempè regni Israëlitici euersio & vastatio, & populi captiuitas & exiliũ perpetuum. Similis autem ferè figura est, infrà cap. 3. & apud Ezechielem cap. 24. v. 15. vbi per vxorem Prophetæ mortuam mors & pœna, & calamitas populi summa significatur.

VERSVS X.

Erit tamen numerus filiorum Israël sicut arena maris, quæ nec mensurari nec numerari potest: Et erit

pro

pro eo quod dictum ſit illis, non populus meus vos (eſtis) *dicetur ipſis filij Dei viuentis.*

VERSVS XI.

Et congregabuntur filij Iuda & filij Iſraël ſimul, & ponent ſibi caput vnum, & aſcendent de terra, quia magnus dies Iizreel.

VERSVS XII.

Dicite fratribus veſtris, populus meus, & ſororibus veſtris miſericordiam conſequuta.

HActenus accuſatio populi & pœnarum comminatio fuit: ſequitur iam altera huius concionis pars, nempè conſolatio: qua pios & fideles & reſipiſcẽtes cõſolatur, erigit & cõfirmat Propheta, & ſimul de vocatione gentium & Meſsia, eiusq́; regno vaticinatur.

Primùm enim ſi literã ſequimur, ſenſus eſt: Etſi regnum Iſraël vaſtandum erat, & populus in captiuitatem abducendus: tamen futurum eſſe, vt ſi in exilio etiam pœnitentiam agerent, rurſum fauorem Dei ſentiant, & à Deo pro populo & filijs agnoſcantur, & ex captiuitate vnà cum Iudæis liberentur: & rurſum in vnum corpus regni cum Iuda coaleſcant: ſicut olim, ante regnum ſciſſum tempore Dauidis & Salomonis vnum regni corpus fuit. Quòd enim hæc nõ ſimpliciter, ſed cum pœnitentiæ conditione accipiẽda ſint, ſi ad literam intelligantur, docet primùm Moſes ipſe, qui Deut.30. v.1. diſertè pœnitentiæ conditionem promiſsionibus addit. Cùm hæc omnia, inquit, tibi euenerint, & ea animo expenderis inter Gentes ad quas expulerit te Dominus, & conuerſus fueris ad Iehouam Deum tuum, &c. Tum reducet Iehoua Deus tuus captiuitatem tuam, & miſerebitur tui, & congregabit te de cunctis populis, ad quos diſperſerit te Iehoua Deus tuus.

Tum Hoſeas ipſe, qui cap.14. v.2. Reuertere, inquit, Iſraël

ad Iehouam Deum tuum: quoniam corruisti per iniquitatem tuam, *&c.* Vbi manifesta est pœnitentiæ mentio.

Postremò hoc ipsum euentus docet: Israëlitæ enim vt suprà dictum est, nunquam ab exilio ad regni instaurationem redierunt, nisi qui fortè cum Iudæis tempore Cyri sese coniunxerint, & in terram Iuda reuersi sint: vnde apparet, verba Prophetæ cum conditione pœnitentiæ accipienda esse. Quoniam enim non egerunt pœnitentiam, non etiam ex captiuitate liberati redierunt.

Hic igitur sensus literalis est: Si egerint pœnitẽtiam Israëlitæ captiui & exules, rursum Deo curæ erunt, multiplicabuntur, & in patriam atque regnum reuertentur.

Vt autem alij Prophetę, ita & Hoseas in consolationibus præcipuè, non tantùm ad bona corporalia & corporalem liberationẽ populi Israëlitici & Iudaici ex Assyria & captiuitate Babylonica & regni & politiæ institutionẽ respicit: Sed in primis ad Messiam Patribus & populo Iudaico promissum, qui promissionum omnium etiã de bonis corporalibus populo isti promissis fundamentum est, & rex atq; defensor Ecclesię, id quod Hebræi etiam saniores fatentur: & ad collectionẽ Ecclesiæ ex Iudæis & Gentibus per Messiam futurã. Cumq; hęc, quæ hoc loco, & aliquot deinceps cõcionibus Hoseas vaticinatur & Amos ca. 9. corporaliter impleta nõ sint, præcipuè de Messia, eiusq; regno, & Gentium ad Ecclesiæ societatẽ vocatione agẽs pro testimonio citat. Affirmat igitur propheta tẽpore Messiæ numerũ Israëlitarũ: id est, fideliũ, & in Christum credentiũ tãtùm futurum, quantus est numerus arenæ: id est, maximũ, ac tum futurum vt multi etiam ex Israële Messiã vnà cum Gentibus agnoscant, & ab eo edocti idolis abiectis, verum & viuum Deum colant, & eius deinceps filij habeantur, ac tum simul Iuda & Israël: id est, Iudæos & Gentes sese vni capiti & regi Christo subiecturos, & ex captiuitate peccati, & potestate tenebrarum liberati, vnà ad Ecclesiam ascendant, idq; tempus longè felicissimum & celeberrimum, quo tempore

pore & fideles ipsi, populus & amici Dei erunt, & omnes inter sese charitatis affectu fratres atq; sorores.

Alij hęc referunt ad extremam Iudęorum conuersionem ad fidem, & liberationem, de qua Paulus Rom.11.v.25.concionari videtur. Sed satiùs esse videtur de Mesiæ tempore cum eodem Paulo hęc accipere. Atq; hæc de sensu, nunc de verbis & Grammatica.

Erit tamen.] Hebraicè est. *Et erit. Et.* pro aduersatiua posita. vide versu 7. est enim hîc Antithesis sicut & illic.

Vt arena maris.] Videtur Propheta respicere ad promissionem factam Abrahæ. Gen.15.v.5. & 22.v.17. in qua hæc verba sunt: Aspice stellas cœli, & numera arenam maris si potes, sic erit semen tuum. Qua collatione simpliciter magna & ingens multitudo significatur, vt 1.Samuel.13. v. 5. apparet: & 2. Samuel. cap.17.v.11. Et Ieremiæ 15. v.8. dicitur viduæ multiplicatæ sunt Ierusolymis magis quàm arena maris: qua figura etiam profani scriptores vtuntur: vt Homerus lib.9. Iliad. v. 385. vbi Achilles: Non, inquit, si tantum auri Agamemnō mihi dederit, quantum est arenæ aut pulueris, filiam eius vxorem ducerem.

Et Virgilius 2. Georgic. de varijs arborum speciebus loquens:

Sed neq; quàm multæ species, nec nomina quæ sint,
Est numerus: neq; enim numero comprehendere refert:
Quem qui scire uelit: Libyci uelit æquoris idem
Discere, quàm multæ Zephyro turbentur arenæ.

Quæ non mensurari.] In Hebræo est, quæ non mensurabitur, nec numerabitur. Verba enim Hebræa futuri temporis, sæpè pro proprio infinitiuo & verbo *posse* ponuntur, & per eadem exponenda sunt. vt 1.Reg. 3.v.8. Seruus tuus est in medio populi multi, qui nec supputabitur nec numerabitur: id est, supputari aut numerari nō potest. Et 2.Reg.5.v. 12. Nónne meliores sunt Amana & Parpar fluuij? annón lauabo me in illis. i. lauare me potero? Et Gē.13.v.16. hęc interpretatio expręssa est, cū dicitur: Ponā semen tuū vt puluerē

terræ: quia si poterit quis numerare puluerem terræ, etiam semen tuum numerabitur: id est, numerari poterit.

Et erit.] id est, futurum est. *Filij Dei uiuentis.*] Id est, filij mei, qui sum Deus viuens. Est enim mutatio personæ: plus autē est filios Dei quàm populum. Est autem appellatio pro re-ipsa, vt suprá.

Et congregabuntur.] Scilicet in vnum regni corpus. *Filij Iuda & filij Israël.*] id est, Iudæi & Gentes typicé. *Ponent sibi caput unum.*] id est ducem seu regem, vel Mesiam, quem Paulus caput Ecclesiæ appellat. ad Ephe.1.v.22. & alibi. Per *caput* autem *unum*, regni corpus: vel Ecclesia significatur, vt vel in vnum regni corpus, vel in vnam Ecclesiam coalescant.

Et ascendent.] Scilicet, Ierusolymam, quòd ea in montibus sita esset, vel ascendent ad Ecclesiam. *Ex terra.*] Scilicet, vel captiuitatis, vel ex regno Diaboli. *Quia magnus dies.*] Id est, celebris & illustris: scilicet erit, qui contrà antè obscurus & tristis fuit: dies enim non solùm pro calamitate, sed etiam pro rerum secundarum tempore & lætitia accipitur: vt Psal.118. v.24.

Iizreel.] Id est, populus antè dispersi. In voce enim *Izreel* noua hîc esse videtur significatio priori opposita. Suprà enim v.4. Izrehel, dissipatos, & quasi disseminatos à Deo, significare videbatur: nūc verò seminatos in terra sua: vt cap.2.v.23 dicitur: Seminabo eam mihi in terra. Et Amos 9.v.15. Plantabo, inquit, eos super terram suam.

Dicite.] Apostrophe est ad liberatos ex captiuitate, & ad credentes, qua significatur futurum esse, vt illi Deo maximè curæ sint: id enim noua nomina (populus meus & dilecta) significant: & ipsi inter sese concordia & charitate deuincti fratres & sorores sint omnes.

Populus meus.] Id est, populus Dei: opponitur autem hoc nouum nomen superiori nomini filij prophetici *loami*: id est, non populus meus.

Dilecta.] opponitur & hoc nouum nomen nomini filiæ propheticæ *Lo rychamah*: id est, non dilecta. Atque hîc rursum

rursum apparet nomina liberorum propheticorum magis ad populū ipsum, quàm ad liberos Prophetę pertinere: & quod de liberis eius dicitur magis typum & figuram esse, quàm rem gestam: hîc enim nomina noua, quæ prioribus opponuntur, & gratiam significant, non imponuntur nouis liberis prophetæ, sed tantùm populo ipsi, nec priorum liberorum nomina mutari dicuntur, sed populi tantúm. Nam si res gesta fuisset, non minus liberi noui, qui gratiam significarent, & nomina gratiæ præferrent, procreandi fuisse videntur, quàm qui iram Dei & pœnam significarent, & nomina iræ & pœnæ gestarent: aut saltem priorum liberorum nomina fuisset immutanda.

CAPVT SECVNDVM.

VERSVS PRIMVS.

Litigate cum matre vestra, litigate quoniam ipsa non (est) *vxor mea, & ego non sum vir eius, vt auferat scortationes suas à facie sua, & adulteria sua è medio vberum suorum.*



LTERA concio est, priore paulò & fusior, & apertior, & prioris quasi expositio, quæ & ipsa ex parte allegorica est, Propheta enim maritus Deum, vxor prophetæ populum seu regnum refert: liberi Prophetæ & vxoris singulos in populo & regno denotant. Et hîc rursum, primùm accusatio est adulterij spiritualis: id est, idololatriæ regni Israëlitici: & simul grauis pœnarum denunciatio. Propheta enim primū de vxoris suæ adulterio conqueritur, eiq; pœnam repudij minatur: id est, Deus de populi sui Idololatria conqueritur, eiq; pœnas exilij & vastitatis comminatur.

Primus autem hic versus admonitionem continet figuratam, apostrophe ex vltimo versu præcedentis concionis

repetita: qua Propheta quasi liberos suos: id est, pios & fideles compellat, & monet atq; iubet vt illi matrem adulteram: id est, Synagogam impiam & idololatricam obiurgēt, & cum ea expostulent. Et additur finis obiurgationis, nempe resipiscentia matris, vt desinant fornicari, & Idola colere. Finis enim reprehensionis omnis & afflictionis est pœnitentia.

Simplex oratio esset prophetæ quidem de vxore conquerentis: vxor mea adultera est, quare admonenda est, vt resipiscat antequàm eam repudiem. Dei autem de populo conquerētis: Populus meus, populus idololatra est, quare admonēdus est, vt resipiscat, antequā eum prorsus abijciā.

Litigate, litigate.] Repetitio ad rem exaggerādam: q. d. grauiter cùm ea expostulate.

Cum matre.] Lyranus de Ierusolyma exponit, sed perperam: nam vt antè diximus, Propheta Samariæ, non Ierusolymæ concionatur: ideo autem liberi cum matre expostulare iubentur, quòd eorum magnoperè interesset, vt mater honestè se gereret, maternum enim dedecus in liberos redundare solet.

Quia ipsa non uxor mea.] Id est, quòd non seruat mihi fidem coniugij, non se pro vxore mea gerat, nec me pro marito habeat atque agnoscat, sed aliis sese turpiter prostituat.

Vt auferat.] In Hebræo est, *Et* quod hîc vel per finalem *ut*, vel per illatiuam particulam *ergo* seu *igitur*, vertenda est.

A facie & uberibus.] Alludit hac loquutione ad mores & consuetudinem meretricum, quæ caput & pectus in primis ornare solent, vt amatores alliciant, atque detineant, & in his ipsis corporis partibus, nempè oculis & vberibus præcipua impudicitiæ signa, quibus sese produnt, & viris insinuant, apparent. Simplex oratio fuisset, vt desinat tandem scortari.

De medio uberum suorum.] Ad verbū est, de inter vbera. Duæ enim Præpositiones more Hebræo iunguntur, quod Latinè exprimi non potest; Sed aut altera Præpositio omittēda est,

vt sic

vt ſic dicamus, *auferat de uberibus ſuis*. Aut in nomen mutanda eſt, vt hîc factum eſt. Vbera autem non tantùm ornant meretrices, ſed voluptatis materiam faciunt. Mores autem meretriceos multis verbis depingit Ezechiel ca.16.

VERSVS II.

Ne fortè expoliem eam, & denudem, & ſtatuam eam ſecundum diem natiuitatis ſuæ, ponamq; eam quaſi deſertum, & ponam eam quaſi terram ſiccitatis, & enecem eam ſiti.

COmminatio pœnæ eſt per collationem. Niſi reſipuerit populus, agam cum eo, ſicut maritus cum vxore adultera agere ſolet. Vt enim ille adulteram domo eiectam, ignominiæ cauſſa ornamentis matronalibus ſpoliat & denudat: Ita ego, inquit Iehoua, per hoſtes Aſſyrios populum Iſraëliticum omnibus regni & Reipub. ornamentis atque præſidijs ſpoliabo. Et hîc nuditatis amplificatio eſt, cùm dicitur: *Statuam eam ſecundum diem natiuitatis ſuæ*: Id eſt, tam nudam reddam, quo eo tempore, quo nata eſt: vide Ezechiel.16.

Poſterior pars verſus idem repetit, ſed proprijs ferè verbis, quæ pars prioris partis quaſi interpretatio eſt, qua affirmat Deus ſe regnum in ſolitudinem & vaſtitatem redacturum eſſe. Atque hîc dum diei natalis & deſerti mentionem facit Propheta, alludere etiam videtur ad ſtatum populi Iſraëlitici, recens ex Ægypto, ductu & auſpiciis Moſis liberati atque egreſsi, & in deſerto in ſumma rerum inopia oberrantis, & ſæpè grauiſsimè periclitantis. Atq; ita hac alluſione ſuperbiam populi originis, & priſtinæ tenuitatis retundere conatur.

Expoliem eam & denudem.] Hebraicè eſt, *ne expoliem eam nudam*. Sæpè enim verbum vnum pro duobus ponitur breuitatis cauſſa, apud Hebræos, vt Pſal.7.v.6. Et conculcet in terram vitam meam: pro proſternat in terram & conculcet.

vide Canonem 28. Ceualerij. Sic hoc loco, *expoliem eam nudam*, est, pro vestibus eam spoliem, & nudam reddam, seu relinquam.

Secundum diem natiuit.] Id est, vt diximus, tàm nudam reddã, quàm fuit die suo natali.

Sicut desertum.] Vel sensus est: Reddam terram Israëliticam instar deserti: vel, redigam populum in eum statum qui fuit olim cùm in deserto oberraret. Græci hîc legunt ἐν ἐρήμῳ, in deserto, qui ב pro כ legisse videntur.

Terram siccitatis.] Id est, terram siccam & arridam: id est, desertum. Est enim eiusdem sententiæ repetitio.

Et enecem eam siti.] Rursum figuratè loquitur, ad vxorem adulteram respiciens. De siti autem addit, quod ante dixerit *terram siccitatis*, & quod in deserto olim populus siti & inopia aquarum grauiter laborarit. Sitis autem intelligi potest, non tantùm corporalis, sed etiam spiritualis, qualem Amos Hoseæ collega nominat, dum vtramq; coniũgit, cap. 8. v. 11. Mittam (inquit) famem in terram, non famẽ panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verba Iehouæ.

VERSVS III.

Et filiorum eius non miserebor: quoniam filij fornicationum ipsi.

AMplificatio pœnæ: quòd filij cum matre domo eijciẽdi sint: pergit enim in allegoria ad quam in fine proximi versus redijt: de marito & adultera. Estq; allusio ad maritum qui adulteram vnà cum liberis adulterinis domo expellit, quæ magna est pœnæ seueritas. Alias enim parci solent adulteris liberorum caussa: hîc contrà affirmat Deus se liberorum rationem non habiturum, sed eos potius vnà cum matre domo eiecturum. Additur autem ratio pœnæ, & peccati accusatio: *quoniam filij fornicationum sunt*: id est, spurij sunt, & illegitimo thoro suscepti, & matri suæ similes: id est, superstitione & idololatria polluti. Vt igitur versu

versu primo, pios alloquebatur propheta, cùm iubet liberos cum matre expostulare: ita hoc loco cùm liberos fornicationum nominat, de impiis in populo, quales plerique erant, loquitur.

VERSVS IIII.

Quia scortatur mater eorum, impudicè agit genetrix eorum: dicit enim, sequar amatores meos, qui dāt mihi panem & aquam, lanam, & linum, oleum, & potum.

PErgit in accusando peccatum adulterij seu idololatriæ. Est autem hîc amplificatio peccati à consilio, & caussa cōsilij. Turpe est adulteram amore victam, peccare: turpius est lucri gratia id facere: id enim faciūt lupæ & scorta publica. Ita, inquit, Deus, populus Israël, nō errore aliquo, sed consulto & cupiditate atq; spe lucri idola colit, quod ab ijs bona omnia expectet, & sibi dari existimet, quæ bona à Deo solo dari possunt. Existimabant enim melius secum agi, cùm idola colerent, quàm cùm verū Deum: vt à Ieremia cap. 44. graphicè expressum est, cùm dicitur: Sacrificabimus reginæ cœli, vt fecimus anté. Tum enim & victu abundauimus, & læti atq; hilares viximus, neq; aduersi quicquam nobis accidit, ex quo autem hoc non fecimus, destituti rebus omnibus & gladio & fame consumpti sumus. Magna igitur hæc cæcitas est & ingratitudo idololatrarum erga Deum. Quæ cęcitas semper in mundo viget: ex rebus enim secundis & successu momentaneo, quo sępè vtuntur publicè & priuatim impij & idololatræ, de religione & cultu Dei iudicant homines, atque hæc caussa est, cur magna hominum multitudo subinde à Deo deficiat, vt hodie multi apud Turcas propter regni eius potentiā & splendorem multi deficiunt.

Quia scortatur.] Hebraicè Præteritum est, & hîc, & in sequentibus pro præsenti.

Quæ dicit.] Dicendi verbo exprimitur cogitatio & consilium: vt Psal.14.v.1. Dixit insipiens in corde suo: id est, cogitauit, non est Deus.

Qui dant mihi panem.] Caussa finalis adulterij & idololatriȩ, nempè, prȩmium & merces: vt enim nullum sine autoramento naualum est, ita etiam idola non sine spe prȩmij & lucri coluntur. Estque hîc amplificatio ab enumeratione, qua prȩcipua vitæ præsidia ad victum & vestitum necessaria enumerantur.

Panem.] Hebraicè est, *panem meum*, pro eo quod vertimus, *qui dant mihi panem.*

Lanam & linum.] Id est, vestium materiam: atq; hæc necessaria sunt: quæ autem sequuntur, *oleum* & *potum*, seu *uinum*, non ad necessitatem tãtùm, sed etiam ad voluptatem & hilaritatem spectant: vt Psal.104.v.16. dicitur.

Potum.] Id est, vinum: nam antè aquam dixit. Græci hoc loco verterunt, Καὶ πάντα ὅσα μοι καθήκει: id est, omnia quibus mihi opus est: non tàm ad verba, quàm ad sensum respicientes.

VERSUS V.

Propterea, ecce ego occludam viam tuam spinis, & sepiam sepem, & semitas suas non reperiet.

Ex peccato pœnas concludit. Estq; adhuc oratio figurata: per *sepem* autem & *spinas* angustias & calamitates, & in primis obsidionem & captiuitatem significat Propheta, & simul alludit ad consuetudinem qua mulieres parum castæ diligentiùs & arctiùs à maritis custodiri, & quasi septis coherceri solent.

Occludam.] In Hebræo est præsens pro futuro, quod & septuaginta expresserunt.

Viam tuam.] Personæ mutatio est. Transit enim à tertia ad secundam, quam septuaginta hîc αὐτῆς verterunt, vt personam tertiam retinerent. *Viam suam non.*] scil. ne liberè & pro

pro libidine vagetur & ad idola adamanda diſcurrat.

VERSVS VI.

Et ſectabitur amatores ſuos, & non apprehendet eos, quæret quoque eos, & non inueniet, & dicet, vadam & reuertar ad virum meum priorem, quoniam melius mihi (fuit) *tunc quàm nunc.*

PRior pars verſus ad pœnam ſpectat. Sectabitur amatores & non apprehendet: id eſt, magno quidem ſtudio & conatu auxilium & leuationem malorum ab idolis petitura eſt, ſed nihil opis aut auxilij ab ipſis percipiet.

Poſterior pars finem pœnarum iudicat, nempe vt omiſſis idolis, eorumque cultu, ad Deum verum, eiusque cultum conuertatur populus: id enim ſignificant verba, *& dicet uadam*, &c.

Et ſectabitur.] Verbum eſt Hebræis *piel*, vnde magnum ſtudium ſignificatur, & alluſio eſt, ad inſanum adulterarum amorem, quæ magis ferè amatores ſuos, quàm maritos amant. *Et dicet.*] Id eſt, vt dicat tandem: *&*, pro finali poſita. *Vadam & reuertar.*] Phraſis Hebraica eſt, pro, rurſum reuertar, priore verbo pro aduerbio poſito. *Quia melius.*] Ad verbum eſt, *quia bonus mihi erat tunc præ nunc*. Primùm autem Hebraiſmus eſt: cùm enim Hebræi comparatiuum non habeant, eum per poſitiuum & præpoſitionem מִן: id eſt, *præ* exprimunt. Deinde adiectiuis pro aduerbijs vtuntur, vt bonus pro bené. Poſtremò elliptica oratio eſt: plena enim oratio ſic eſſet: melius mecum agebatur cùm priorem verum colerem, & ei fidem ſeruarem, quàm nunc cùm amatores ſector, & idola colo.

VERSVS VII.

Sed ipſa non intelligit me dare ipſi frumẽtum & muſtum, &

ſtum, & oleum, & argentum multiplicare ipſi, & aurum, quæ aptant ipſi Baal.

RVrſum eſt peccati, nempè idololatriæ accuſatio, & de populi cæcitate & ingratitudine querela, quod videlicet non intelligat populus, nec agnoſcat bona omnia ſibi à Deo ſolo, bonorum omnium fonte, dari, ſed ea idolis accepta ferant: ac proinde ad idola faciẽda & ornanda atque colenda ea in primis adhibeant: vt maior deinde eorum bonorum contingat copia. Etſi enim facilè intelligi potuit, vnum ſolum eſſe verum & viuum Deum conditorem cœli & terræ, & bonorum omnium datorẽ, cuius ſumma & infinita ſit potẽtia, ligna aut lapides in Deos conuerti non poſſe, nec ab iis boni quicquam proficiſci poſſe: Tamen cùm Deus ſenſibus comprehendi non poſſet, iudicabant homines gratiorem Deo cultum fore, ſi ad viſibiles, inuiſibiles Dei imagines eum colerent, & inuocarent: ac proinde etiam Deum magis ipſis præſentem fore, & ad ipſos inuocandos & bona danda magis propenſum. Quæ opinio cum vulgo perſuaſa eſſet, multi craſsi homines ipſis etiam idolis numen tribuebant, & bona à Deo data ipſis accepta referebant.

Non intelligit.] Id eſt, partim non intelligit, partim non agnoſcit. *Frumentum.*] Enumeratio aliquot donorum Dei, pro omnibus. *Aptant ipſi Baal.*] Hebraicè eſt, aurum fecerunt Baal: vbi primùm eſt relatiui Ellipſis, frequens Hebræis, deinde temporis Enallage, vt in verbis ſuperioribus. Præterea verbum faciendi, vel propriè accipitur, vt ſit ſenſus: Faciunt aurum & argentum in Baal: id eſt, ex auro & argento faciunt idola. Vel accipitur pro præparare, vel aptare: ac tum ſenſus eſt: Aptãt aurum & argentum ipſi Baal, ſeu idolis, & in vſum eorum accommodant.

Baal.] Vox Baal in genere ſignificat Dominũ ſeu herum, ſeu poſſeſſorem, ſeu patronum, ſeu maritum: vt Dominus ſapientiæ: id eſt, ſapiens, à radice בָּעַל: id eſt, dominari, poſsidere, *&c.* In ſpecie autem ſignificat idolum, quod ceu domi-

dominum ſuum & patronum homines colant, ament, & venerentur. Hîc autem & aliàs Epithetis additis, certa idola ſignificat: vt Baal peor, Deut.4.v.3 Baal Zebub, 2. Reg.1. v.2.Baal Beritz, Iudic.8.ver.antepenult. & hîc etiam per literam ה demonſtratiuam ſubintellectam, ad certa idola reſtringitur ab Achabo introducta, niſi velimus Synecdochẽ eſſe, vt pro quouis idolo accipiatur.

VERSVS VIII.

Propterea reuertar, vt ſumam frumentum meum tempore ſuo, & vinum meum tempore ſuo, auferamq́; lanam meam, & linum meum, quibus tegebatur nuditas eius.

HActenus alternatim accuſatio fuit & comminatio, ſequitur nunc comminatio tantùm ad finem verſus duodecimi, per verſus quinque, niſi quod verſus vndecimus accuſationem mixtam habeat. Quare in his Grammatica tantùm excutiemus.

Reuertar & ſumam.] Id eſt, rurſus ſumam, ſeu auferam, & eripiam: priùs enim verbum per aduerbium vertendum eſt, abiecta copula, vt Gen.30.v.31. Reuertar paſcam: id eſt, rurſus paſcam. Et Pſal.85. Reuerteris viuificabis nos: id eſt, rurſum viuificabis.

Frumentum meum.] Scilicet, quod à me, non ab idolis datur.

Tempore ſuo.] Id eſt, ſuo anni tempore, ſeu meſsis & vindemiæ tempore, cùm iam frumentum & vinum quaſi in manibus eſſe videantur. Itaque hîc auferre ſeu eripere dicitur Deus, quod nõ dat, ſed tantùm oſtendit. *Quibus nuditas eius.*] In Hebræo rurſum oratio Elliptica eſt, quæ ſupplenda eſt relatiuo ſubintellecto & verbo commodo, vt hoc modo: Auferam lanam & linum, quibus vtebatur ad tegẽdam nuditatem. vel, quæ dederam ipſi ad tegendam nuditatem. Abuſus igitur donorum Dei priuatione punitur.

VERSUS IX.

Et iam detegam ſtultitiam eius ob oculos amatorum eius, & nemo eripiet eam è manu mea.

POenarum exaggeratio à temporis breuitate, & pœnarum ſpectatoribus.

Etiam.] Id eſt, breui, ſeu paulò pòſt. *Detegam ſtultitiam eius.*] Id eſt, veſtibus ſpoliabo, vt appareat ſtultitia eius, vt ſit alluſio ad pœnam adulterarum, qualis fuit ſuprà v.2. Vel, pœnis ipſis docebo quàm ſtulta fuerit. *Ob oculos amatorum.*] Id eſt, ſpectatoribus idolis, vbi proſopopœïa eſt: idola enim non vident. *Et nemo.*] Scilicet amatorum, ſeu idolorum ipſi opem ferre poterint. In Hebræo eſt: *Et uir non eripiet eam.* Vox enim *uiri* interdum diſtributiuè Hebræis accipi ſolet, vt hoc loco. *Vir non*: id eſt, nemo. Et futurum *eripiet* potentialiter ponitur: vt ſuprà cap.1.v.10.

VERSUS X.

Et ceſſare faciam vniuerſa gaudia eius, feſta eius, nouilunia eius, & Sabbatha eius, & dies feſtos eius.

RVrſum amplificatio cõminationum eſt, per Enumerationem ſeu diſtributionem bonorum, quibus Iſraëlitę in regni vaſtatione ſpoliandi eſſent. Eſtq; hîc oratio propria ad terram ſeu gentem ipſam ſpectans. Primùm autem affirmat Deus ſe feſta omnia in quibus publica lætitia eſſe ſolebat, deleturum. Per feſta autem intelligit etiam ſacrificia, & latam cultus externi pompam, qua ipſi maximè confidebant, & ſeſe iactabant. Cùm interim ea maximè abuterentur, eaq; Deũ grauiſsimè offenderent. Quod igitur pręcipuum regni ornamentum fuiſſet, ſi rectè exercuiſſent, quodq; hypocritis præcipuum nequitiæ velamen erat, id ſe ipſis detracturum affirmat, Deus, vt tãdem appareat, eos nihilo gentibus eſſe meliores. Simul autem per feſta, verbi Dei audiendi copia, deique veri cognoſcendi & celebrandi occa-

di occaſio ſignificatur, quæ vnà cum feſtis & miniſterio peritura eſſet, quod fames & ſitis ſpiritualis erat, & pœna omnium grauiſsima, de qua ſup.v.2.dictum eſt.

Vniuerſa Iudæa.] Id eſt, feſta, adiuncto pro ſubiecto poſito. Eſt autem in hac voce & reliquis ſequentibus numerus ſingularis pro plurali. *Et nouilunium & Sabbathum.*] Species feſtorum ſunt: reliqua generaliter feſta ſignificare videntur.

VERSVS XI.

Et vaſtabo vineas eius, & ficus eius, quod dicat eas eſſe mercedem ſuã, quam dent ipſi amatores ipſius, & redigam eas in ſyluam, & comedent eas beſtiæ agri.

Corporalium bonorum ſecundo loco priuatio ſignificatur: per *uineas* autem & *ficus* reliqua omnia Synecdochicos intelligenda ſunt, quę ad victum, veſtitum, neceſsitatem & voluptatẽ hominibus tribuit Deus. Cauſſa autem pœnæ verſu quarto & ſeptimo ſuprà fuit, quæ hîc breuiter repetitur, quòd videlicet Dei dona idolis accepta ferrent. Sæpiùs autem hæc cauſſa repetitur, vt intelligatur hac ingratitudine nihil Deo magis ingratum fuiſſe.

Vineas eius.] In Hebræo, & hîc ſingularia ſunt pro pluralibus. *Quod dicat.*] Hebraicè Mimeſis eſt. *Et redigam eas in ſyluam.*] Græci hîc reddiderunt, *Ponam eos in teſtimonium*: per *ſyluam* autem beſtia agri, ſolitudo & vaſtitas regni ſignificatur. Eſt etiam in relatiuis generis mutatio: pro fœminino enim Hebraicè maſculinum eſt. *Beſtiæ agri.*] Hîc Hebraicè ſingulare eſt, pro plurali: quod in nominibus generum & ſpecierum frequentiſsimum eſt. *Beſtiæ* autem *agri* ſunt agreſtes: id eſt, feræ.

VERSVS XII.

Et viſitabo aduerſus eum dies Baalim, quibus accendit thura, & ornabat ſeſe in aure ſua, & monile

suo, sequebatur amatores suos, mei autem oblita est inquit Iehoua.

COnclusio comminationis totius breuiter caussam pœnarum repetẽs, nempe cultum Idolorum & veri Dei obliuionem & contemptum.

Visitabo dies Baalim.] Id est, pœnas sumã de ijs propter idololatriam & cultum Baalim, vt dies: id est, tempus, pro tẽporis subiecto ponatur. De verbo autem visitandi, vide suprà, cap. 1. v. 4.

Quibus.] Caussę pœnarum repetitio est, vt diximus. Quod autem antè singulariter Baal dixit, quasi de vno, hîc pluraliter dicit Baalim, quasi de pluribus centis idolis.

Ornabat sese.] Alludit ad mores meretriceos, & explicat quod versu primo dixit: *Vt auferat scortationes suas à facie sua.* Nominat autem duo ornamenta pro multis. Multa autem fuisse mulierum ornamenta & varia etiam tum temporis, Esaiæ cap. 3. v. 19. apparet.

Mei autem oblita est.] Antithesis est.

SECVNDA PARS CONCIONIS SEcundæ.

VERSVS XIII.

Deinceps autem ecce ego persuadebo ei, & educam eam in desertum, & amanter cum ea colloquar.

HActenus prima pars fuit concionis, nempe accusatio & comminatio. Sequitur altera, nempè consolatio, eaq; amplissima & omnibus alijs longior, nisi quod vltima hanc ferè æquat: hac autem & populum Israëliticum & totam Ecclesiam consolatur Propheta. Affirmat enim futurũ vt populus si modò etiam in exilio pœnitẽtiam egerit, cum Deo in gratiam redeat, & ab exilio in patriam reuertatur, & simul vt Ecclesia tempore Mesiæ ex Iudæis & Gen-

& Gentibus voce Euangelica colligatur, vt in prima concione diximus.

Deinceps autem.] In Hebræo est לָכֵן: id est, propterea. Particulæ enim indeclinabiles variè ab Hebræis accipi solent, & semper præsenti loco accommodandæ sunt.

Etsi autem hæc particula לָכֵן plerumque significat propterea vel idcirco: tamen hoc loco non concludit præsentem orationem, sed potiùs nouam & superiori contrariam continet: Itaq; per aduerbium deinde, vel postea commodiùs exprimitur, vt & factum est.

Persuadebo illi.] In Hebræo pręsens est pro futuro: persuadebo: id est, operam dabo vt consilium mutet, vt relictis idolis ad me reuertatur, & in patriam ad me colendum reuerti cupiat & expetat.

Respicit autem his verbis ad figuram de matrimonio & adulterio, opponitq́; Deus quasi bonus maritus suam persuasionem & seductionem, persuasioni seu seductioni amatorum à quibus vxor seu populus seductus, à Deo abalienatus erat.

Educam eam in desert.] Id est, Ab exilio liberabo, & liberata deinde per desertum liberè in patriam proficiscatur. Est enim Allusio ad veterem populi ex Ægypto liberationem, & per desertum eductionem, id quod disertè proximo versu indicatur, & hoc desertum opponitur deserto versus secundi & syluis in versu 11. suprá.

Et amanter cum ea colloquar.] Hebraicè est: & loquar ad cor eius. Quæ phrasis & alibi est. vt Gen. 50. v. 21. Loquutus est Ioseph ad cor fratrum suorum: id est, cepit amicè & blandè cum ijs loqui, vt tristes ac timidos confirmaret. Sic 2. Samuel. 19. v. 7. Ioab ad Dauidem: Loquere, inquit, ad cor seruorum tuorum: id est, blandè & leniter milites alloquere.

VERSVS XIIII.

Et reddam ei vineas suas inde, & vallem Achor ad Ianuam spei, & canet ibi sicut tempore adolescen-

tiæ (cecinit) *& ſicut* (cecinit) *tunc cùm aſcēdit ex terra Aegypti.*

REductio in Patriam & coniuncta lætitia ſignificatur, amplificata collatione: atq; hîc iam collatio aperta eſt, cuius futuræ liberationis cum veteri liberatione populi ex Ægypto & ingreſſu in terram Canaan.

Reddam ei uineas.] Id eſt, reddam ei patriam, ſedes, ac vites, & omnia reliqua ablata. Eſt enim Synecdoche in voce vinearum pro tota terra. Vnde Græci hoc loco ſenſum magis quàm verba ſequuti, κτήματα: id eſt, poſſeſsiones verterunt. *Vineas* autem nominat reſpiciens ad verſum 11. & quod vinum non tantùm neceſsitati ſeruiat, ſed etiam ad hilaritatem faciat, quæ liberationem ſequutura erat.

Inde.] Vel temporis ſignificatio eſt, vt ſit inde poſtquam ab exilio redierint: vel de loco accipitur, poſtquam videlicet deſerto peragrato ad fines patriæ redierint.

Vallem Achor.] Vallis Achor fit mentio Ioſuę 7.v.24.& deinceps. Nomen accepit ab eo quod ibi accidit, quod videlicet Achor qui furto ſuo Iſraëlem turbauit, idem ibi rurſum turbatus.i.lapidibus obrutus ſit. Achor, עכר, enim turbare ſignificat: vnde עכור turbatio, & vallis Achor, quaſi vallis perturbationis.

Videtur autem locus non tantùm amœnus, ſed etiam fertilis admodum fuiſſe. Vnde Eſaiæ 65.v.10. fertilitas eius commendari videtur. Et circa vrbem Iericho huic valli vicinum balſamum quod nuſquam alibi proueniebat, maxima copia naſcebatur. Per *uallem* igitur *Achor* rurſum Synecdochicè patriam terram Iudaicā totam, & rerum omnium copiam intelligit Propheta. Eam autem vocat Ianuá ſpei, quòd locus eſſet, qui Iordanem tranſgreſsis primus ferè occurreret, & ad quem locum traiecti Iordanem primùm appulerunt Iſraëlitæ cùm in poſſeſsionem ſuam quaſi intro ducti eſſent Iudæi. Erat enim vel pars loci Gilgal, vbi primùm caſtra habuerunt Iſraëlitæ: aut ſaltem ei loci vicinus

ad par-

ad partem orientalem vrbis Ierícho. Hic igitur locus Ianua ſpei futurus eſſet populo ab exilio reuertenti: id eſt, primus ingreſſus ſperatæ & optatæ patriæ, non aliter atque Iſraëlitis olim hîc prima quaſi fores terram ingredientibus fuêre. Itaq; & ſpes μετωνυμικῶς pro re ſeu terra ſperata ponitur.

Et canet ibi lætitia.] Liberatio amplificatur ab adiuncta lætitia, quæ per cantum indicatur. Alludit autem rurſum ad exitum ex Aegypto, & ad carmen quod mari rubro trãſmiſſo cecinêre Iſraëlitæ. Exod. 15.

Cùm autem dies adoleſcentiæ nominat Propheta, rurſum lætitiam ipſam amplificat, & figuratè loquitur ad mulierem, eiusque adoleſcentiam reſpiciens. Iuuènculæ enim cantibus & choreis delectantur. Quomodo autem id populo conueniat, Propheta ipſe interpretatur, dum adoleſcentiam populi appellat id tempus quo ex Aegypto primũ ingreſſus eſt. Vide ſup. ver. 2. Vbi hoc tempus, tempus natiuitatis dictum eſt: vt & Ezechiel cap. 16. loquitur.

VERSVS XV.

Et eo tempore futurum eſt, ait Iehoua, vt voces me אִישִׁי (Iſchi) *(id eſt, vir ſeu marite mi) & non voces me amplius* בַּעְלִי (Baali) *: id eſt, Domine ſeu patrone mi.)*

SEquitur Enumeratio bonorum ſpiritualium & corporalium, quæ pœnitentiam & liberationem populi eſſent ſubſequutura. Et primum quidẽ ſpirituale & ſummum bonum hoc verſu promittitur, nempe veri Dei agnitio & cultus, veræq; religionis inſtauratio, deleta & abolita prorſus idololatria & idolorum memoria iam extincta. Sermo autem rurſum figuratus eſt Allegoria matrimonij. Eſtque etiam perſonæ mutatio & Apoſtrophe qua maritus quaſi vxorem: id eſt, Deus populum compellat.

Vocabis me.] Appellatio eſt pro reipſa: vt 1. cap. aliquoties fuit. Vt enim Hebræi ſæpè factum pro dicto ponunt: ſic contrà ple-

tra plerunq; dicto pro facto, & appellatione pro re vtuntur, vt hîc: Apellabis me maritum: id est, reipsa me pro marito habitura es, me solum coles, amabis & obseruabis.

אִישִׁי *Ischi.*] Respicit ad consuetudinem qua vxor amoris caussa maritum compellat.

בַּעְלִי *Baali.*] Antithesis de idolis negligendis. Non vocabis me, inquit, eo nomine quo idola appellari solent: eo enim tempore nihil mihi cum ijs commune esse volo, & ne nomen quidem eorum audire, quod etsi tollerabile sit: tamen quoniam idolis tribuitur, id mihi tribui nolo, quod ne fiat prorsus, tum delebitur. In אִישִׁי *Ischi* autem & בַּעְלִי *Baali*, soni postremi similes sunt.

VERSVS XVI.

Et auferam nomina Baalim ex ore eius, & non erit in memoria amplius nomen ipsorum.

POsterioris hemistichij proximi versus Interpretatio & expolitio est. Ita enim inquit: Idola peritura sunt, vt ne nominis quidem ipsorum memoria vlla reliqua futura sit.

VERSVS XVII.

Et feriam illis fœdus eo tempore cum bestijs agri, & cum volucribus cœli, & reptilibus terræ: & arcum & bellum confringam de terra, & efficiam vt quiescant securé.

PRomittitur bonum corporale, nempe pax publica, qua tuti futuri sint ab incursu bestiarum, & hostium omniũ, vt tutò deinceps in pace & tranquillitate degant.

Feriam illis.] Id est, ipsorum nomine, non cum illis, vt vetus habet. Fœdus enim cum bestijs fieri dicitur in gratiam hominum, vt pacem cum illis colant.

Cum bestijs agri.] Oratio allegorica, pro pręcipiam feris, vt quasi fœdere inter ipsas & fideles facto sese gerant, & ab ipsis,

ipsis, eorumq; bonis, dentes & vngues deinceps abstineāt. Simul autem more prophetico, ferè de tyrānis & hostibus Ecclesiæ, deq; Diabolis ipsis intelligi possunt.

Et arcum.] Altera pax cum hominibus, ne bello deinde Ecclesia lacesseretur. In his autem substantiuis, numerus singularis pro plurali in Hebræo est.

Et bellum.] Id est, cætera instrumenta bellica, vt sup.1. v.7. fuit.

Conteram de terra.] Id est, confringam & auferam, de terra: vno verbo pro duobus posito, vt sup. cap.1. v.2.

Efficiam ut cubat.] Superiorum interpretatio breuis. In verbo autem *cubandi* seu *quiescendi* metaphora est à dormientibus, qui rerum omnium securi esse solent.

Securè.] Hebraicè est ad fiduciam, seu in fiducia: id est cōfidenter & securé. Hebræis enim præpositio substantiuo addita sæpè aduerbiū exprimit: vt in fiducia: id est, vt diximus confidenter, seu vt Vetus vertit *fiducialiter*. Est autem in hoc versu & propria de populo loquutio, & proinde numeri & personæ mutatio. Pluraliter enim in tertia persona Deus loquitur.

VERSVS XVIII.

Et desponsabo te mihi in sempiternum: & despōsabo te mihi in Iustitia & in Iudicio, & in misericordia, & in miserationibus.

VERSVS XIX.

Et desponsabo te mihi in fide: & cognosces Iehouam.

RVrsum bonum spirituale est, nempe gratia & misericordia Dei erga populum, & adulterij spiritualis seu idololatriæ remissio, & fœderis quasi coniugalis instauratio, nouaque desponsatio. Et hîc rursum oratio figurata est, allegoria matrimonij & oratio ad numerum singularem & personam secundam reuertitur, qua maritus vxorem: id est, Deus populum compellat. Hæc autem gratia

Dei primùm ipsa allegoria amplificatur: vt enim magna est mariti qui adulteram in gratiam recipit indulgentia, & clementia, idq; præsertim in eo populo erat: Ita etiam Deus qui populum idololatram in gratiam recipiat, magna est clementia & misericordia. Deinde eadem gratia & fœderis instauratio ab adiunctis describitur, & amplificatur, vt sunt fœderis perpetuitas, integritas, amor & fides sponsi. Opponitur autem hic versus, versui secundo capitis primi, & versui primo capitis huius.

In æternum.] Prima fœderis & matrimonii instaurati conditio, quod futurum sit æternum. Quod de fœdere Christi & Ecclesiæ in primis verum est.

In iustitia & iudicio.] Altera fœderis conditio, quòd sit sine dolo & fraude futurum, quodq; in desponsatione nihil sit futurum simulatum aut insidiosum, sed omnia rectè & bona fide agenda sint. Sic enim phrasis aliàs etiam accipitur: vt Psal. 119. v. 121.

In misericordia & miserationib.] Tertia fœderis cõditio, quod sponsus sponsam seu Deus populũ summo deinceps amore complecti velit, qui amor non tantùm meritis & dignitati populi, sed in primis suspicioni vxoris, seu populi de peccati recordatione opponitur.

In fide.] Quarta fœderis conditio, quod videlicet sponsus: id est, Deus fideliter & firmiter fœdus seruare velit, quæ cõditio eadem ferè est cum prima: quia enim fideliter seruandum erat, perpetuum etiam futurum erat.

Et cognosces Iehouam.] Sensus hic duplex esse potest: primus cognosces Iehouam: id est, senties te cum Deo in gratiam rediisse, senties eius fauorem & beneficia, & reipsa experieris te omnia bona habere à Iehoua, non ab idolis: vt hæc etiam verba ad sponsi erga sponsam animum & fœderis conditionem referantur: vel etiam hæc verba ad sponsam referri possunt: vt iis significetur mutua sponsæ erga sponsam obligatio, affectio & officium, vt sit sensus: *Cognosces:* id est, amabis vicissim Iehouam, eumq; coles & obseruabis:

uabis: vt verbum notitię pro affectu ponatur, more Hebraico. In nomine autem Iehoua personę mutatio est. Est enim tertia pro prima: vt sit, cognosces Iehouam: id est, cognosces me. Loquitur enim ipse Iehoua: vide sup. cap. 1. v. 7.

Verbum desponsandi ter in his duobus versibus repetitum ad rei exaggerationem & asseuerationem facit, quę asseueratio opponitur dubitationi de gratia & fauore Dei, & forma reconciliationis. Quod autem Hieronymus ex hac repetitione triplicem desponsationem faciat, quarum prima facta sit tempore Abrahæ: secunda in monte Sinai: tertia Messiæ, hoc quidem loco subtilius est.

In.] Præpositio substantiuis additur more Hebraico, quæ in versione superuacanea est. Atq; hactenus sensus literalis & Grammatica fuit. Possunt autem etiam hæc ad Christum Ecclesiæ responsum, & Ecclesiam Christi sponsam rectè accommodari. Atque tum voces in his versibus ita exponi possunt, vt iustitia significet iustitiam Christi sponsi, Ecclesiæ imputatam, vt iudicium sit pœna hostium & defensio Ecclesiæ, Misericordia significet dona quibus Ecclesia à sponso ornatur præsertim spiritualia: miserationes verò affectum quo Christus in periculis & calamitatibus erga spōsam afficitur, & ad iuuandum mouetur. Atque tum fides & cognitio ad sponsam referri possunt.

VERSUS XX.

Tunc exaudiam, inquit Iehoua: exaudiam, inquam, cœlos & illi exaudient terram, & terra exaudiet firmamentum & mustum & oleum, & illa exaudient Iizreelem.

RVrsum promittitur beneficium corporale bonum, nēpe rerum omnium ad vitam necessariarū copia & vbertas. Per frumentum mustum & oleum cætera omnia intelliguntur: & opponitur hic versus versui 7. & 8. Estque oratio rursum propria sine Allegoria, sed interim

dulcissimis figuris ornata, nempè prosopopœia qua cœlo & rebus alijs tribuitur id quod hominum proprium est, nempe facultas precandi & exaudiendi. Deinde gradatione qua voces antecedentes sequenti loco repetuntur, nisi quòd bis pro antecedentibus relatiuum sit repetitum: tertiò verbi exaudiendi repetione & polyptoto.

Exaudiam.] Quasi cœli nostro nomine preces Deo adhiberent, vt is patiatur ipsos terram fœcundare, & terra cœlos solicitaret, & sic deinceps. Sed oratio, vt dixi, prosopopœia ornata est, qualis & illa videtur Rom. 8. v. 19. vbi rebus inanimatis spes voluntas & suspiria tribuuntur: nã aliàs Deus homines se inuocantes exaudit. Sed interim cœlum & terra exaudire dicuntur, quod per ea quasi per organa & canales quosdam Dei benedictio ad nos perueniat. Repetitio autem vocis *exaudiam*, initiò ad exaggerationem facit.

Exaudiam cœlos.] Cœli enim caloris Solis & pluuia terram quasi grauidant & fœcundant, vt est in nouissimis verbis Dauidis 2. Samuel. 23. v. 4. Ex splendore & pluuia existunt ex terra stirpes: quare cœlum vice genitoris est.

Terram.] Terra enim instar genitricis est, quæ sine pluuia, calore & radijs Solis sterilis ferè & infœcunda est.

Mustum.] per mustum etiam vinum intelligitur. Est enim mustum vinum recens expressum.

Et illa.] Relatiuum hîc pro antecedentibus positum est, ne trium antecedentium repetitio molesta foret.

Exaudient.] Id est, votis piorum & fidelium respondebũt, & in magna copia prouenient.

Iizreelem.] Id est, populum Israëliticum à dispersione & exilio reuersum. Estque in hac voce seorsum figura multiplex: primùm enim Iizreel est pro Israëlitis: id est, vrbs pro ciuibus: quod Metonymia est. Deinde Israëlitæ pro toto populo sunt, quę est Synecdoche. Pręterea Allusio est ad nomen Israël & Iizreel, vt & 1. c. fuit, quæ est paronomasia. Ad hæc ad Etymologiã Allusio est. Iizreel enim est, & hoc loco dicitur quasi semen Dei. Postremò si hęc Etymologia & interpre-

terpretatio conferatur cum ea, quæ 1. cap. fuit, vbi Iizreel quaſi diſſeminatio & diſperſio Dei propter exilium futurũ à Propheta dicebatur, Antanaclaſis eſt.

Sunt igitur & in tota ſententia & in hac voce multæ figuræ, quod diligenter obſeruandum eſt, propter eos qui linguam ſanctam horridam, incultam & barbaram eſſe perperam exiſtimant.

COROLLARIA.

Primum. Vt hi verſus eos refutãt qui linguam, vt dixi, barbaram exiſtimant, ita contra obiter ſtudium ſermonis purioris & elegantioris etiam in rebus ſacris tractandis nobis commendant.

Secundum. In his verſibus Epitome & Idea eſt, verę, eruditæ, & piæ phyſices, quæ à Deo profecta per cœlum & res cœleſtes progreſſa in terram & elementa reliqua deſcẽdit. Ibiq; deſcriptis meteoris, metallis, herbis frugibus, arboribus, auibus, piſcibus, pecoribus, tandẽ in hominem, eiusq; naturæ conſiderationem & explicationem deſinit.

Et hactenus res omnes conſiderat, quatenus conſideratio ad agnitionem, admirationem & celebrationem Dei opificis, & ad vſum humanum, vitæq; noſtræ præſidia conferat. Cuiuſmodi Phyſica Moſis eſt, cap. 1. Gen. Cuiuſmodi & Dauidis fuit: vt Pſalm. 104. apparet. Cuiuſmodi & Salomonis 3. Reg. 4. v. 30. fuiſſe dicitur. Cuiuſmodi & Baſilij Magni eſt de operibus ſex dierum. Et philoſophorũ ſaniorum fuiſſe videtur.

VERSVS XXI.

Et ſeminabo eam mihi in terra & miſerebor ipſius Lorycama : (id eſt, quæ fuit ſine miſericordia.) *& dicam ipſi Lo ami* (id eſt, non populo meo) *populus meus tu es, & ipſe dicet* (mihi) *Deus meus.* (tu es.)

Conclusio consolationis est. Adhæret autem hic versus præcedenti per paronomasiam, seu collusionem vocis postremæ versus præcedentis, & vocis primæ huius versus, id quod ab eo qui Hebraicè imperitus est videri non potest: nec Latinè etiam facilè exprimi potest, nisi vocem Iizreel nomen proprium in duo appellatiua conuertatur, & ita vertatur: *& illa exaudient semen Dei, & seminabo eam*, &c. Tum enim in *Semen* & *Seminabo* soni & vocis similitudo est, qualis etiam in Hebræis vocibus quæ sententiarum hoc loco vinculum est.

Et seminabo.] Id est, efficiam vt in patriam reuersi, & in ea radices agant ne facilè extirpétur, & instar frugum magno numero crescant & augeantur: qui in exilio ad paucitatem redacti fuerant. Atq; hîc dum populus semini cófertur Metaphora est.

Et miserebor.] Amplificatio est ex prima concione repetita, qua nomina iræ in nomina gratiæ populo mutantur: vide sup. cap. 1. v. 10.

Et dicam.] Id est, populum ante à me reiectum rursum pro populo meo agnoscam & habebo. Est enim rursum dictum pro facto: vide sup. v. 15.

Et illa dicet.] Id est, pro vero Deo vicissim agnoscet & colet: vide sup. v. 19. Atque hactenus caput secundum fuit.

CAPVT TERTIVM.

VERSVS PRIMVS.

Et dixit Iehoua ad me: Rursum vade, ama mulierem dilectam amico, & adulteram sicut diligit Iehoua filios Israël: ipsi autem respiciunt ad Deos alienos, & amant lagenas vuarum.



Ertia visio seu cócio est quasi duarum priorum Epitome, eiusdem cum prioribus argumenti.

Est autem oratio rursum figurata Allegoria Matri-

Matrimonij & adulterij. Hîc enim in persona adulteræ, & idololatria & pœna eius depingitur, sicut in prioribus capitibus ex parte factum est. Quod autem hæc quæ quasi res gestas narrari videntur, non tàm res gestæ sint, quàm rei gestæ similitudo ex præcedentibus capitibus apparet, & ex ijs quæ cap.1.v.2.diximus.

Summa igitur huius breuis quidẽ, sed obscuræ cõcionis, & integra comparatio hæc ferè est. Sicut si Propheta ancillam aut mulierem captiuam sibi cõpararet, quam pro vxore haberet, & magnoperè diligeret: illa autem cum liberaliter à marito haberetur fidem ei non seruaret, quare & à mariti consuetudine excluderetur, & duriter atque parcè tractaretur: donec resipiscens in gratiam à marito reciperetur. Ita Deus populum Israël in Ægypto seruientem quasi precio redemit, & summo amore dilexit. Sed ille parùm Deo gratus cum idolis quasi scortatus est, quare etiam à Deo exilio & captiuitate punietur donec resipiscat: quod si fecerit, rursum in gratiam à Deo recipietur, & in patriam reuertetur.

Primus autem versus accusatio est idololatriæ partim figurata, partim simplex. In figura autem mandatum Dei ad Prophetam est, in qua Ellipsis quæ ex mandati exequutione intelligitur & supplenda est: quod enim exequitur Propheta, id omne etiam mandatum esse intelligendum est: plenum igitur mãdatum esset: Vade, ama, & eme tibi puellam seu mulierem quam vxorem ducas, quæ cùm scortata fuerit, eam include, *&c.*

Rursum.] Vel adhuc: hæc autem particula innuit hîc nouã visionem seu concionem esse, eamq; prioribus duabus similem præsertim primæ, quam etiam cum prioribus coniungit.

Vade.] Id est, age: particula hortandi præsertim cum alteri verbo præponitur: vt 2. Samuel.cap.7.v.3.

Ama.] Id est, dic populo te amauisse seu amare: vel vtere hac similitudine ad populi idololatriam & ingratitudinem

erga

erga Deum depingendam & reprehendendam.

Dilectam amico.] Id eſt, amatori quam alius amat, & cuius conſuetudine alius vtitur: id eſt, mulierem parum caſtam ſeu meretricem: hoc autem ſpectat ad Dei erga populum beneficium, & populi erga Deum ingratitudinem exaggerandam. Nemo enim facilè meretricem vxorem ducit, aut quam ab alio compreſſam & ſtupratam nouit. Id autẽ Deus fecit, qui populum Iſraëliticum idolis olim ſeruientem ſibi peculiariter delegit, & quaſi matrimonio ſibi iunxit.

Vox autem רֵעַ pro amatore accipitur Ieremiæ 3. v. 1.

Et adulteram.] Id eſt, quę in matrimonium aſcita fidem tibi non ſeruet, ſed cum priori amatore etiam conſuetudinem habeat. Sic enim intelligendum eſſe ἀπόδοσις oſtendit: copulatiua autem ET, hîc pro aduerſatiua accipienda eſt. Græci hoc loco verterunt, ἀγαπῶσαν πονηρὰ καὶ μοιχαλίν: id eſt, amantem mala & ſcorta, aliter nempè legentes.

Sicut amat.] Ἀπόδοσις primæ partis ſimilitudinis & collationis. Perinde, inquit, ac ſi quis meretricem vxorem duceret, vel amore vel miſericordia motus: Illa autem cum prioribus amatoribus interim ſcortaretur: ita Deus ex mera gratia & ſummo amore populũ idololatricũ ſibi delegit. Sed ille tamen cum idolis quaſi fornicatur.

In Hebræo eſt: *Secundum amorem Iehouæ* (ERGA) *filios Iſraël:* Verbalia enim ſubſtantiua ſuorum verborum caſus obtinẽt Hebraicè: vide canonem 14. Ceualerij, vbi hoc idem exemplum citatum eſt.

Et ipſi reſpiciunt.] Rurſum copula eſt pro aduerſatiua. In verbo autem *reſpiciendi* Metaphora eſt ad Deos alienos: id eſt, amant, colunt, & obſeruant Deos alienos, & in ipſis ſpem & fiduciam collocant.

Et amant.] Hoc membrum magis ad πρότασιν ſimilitudinis ſpectare videtur, ſi propriè accipiatur de vino & ebrietate. Meretricum enim eſt vino & ebrietate delectari.

Lagenas uuarum.] Id eſt, vini plenas. vt vua ſit pro vino per Metonymiam. Poteſt tamen & ſenſus eſſe: amant lagenas vua-

vuarum: id eſt, expectant ab idolis vinum, & cætera ad victum & veſtitum neceſſaria: vt ſuprà cap.2.v.7. dictum eſt. At etiam idololatrarum inſania ebrietati confertur: vel ſignificatur morum corruptela quę idololatriam ſequitur: vt per lagenas vuarum delicias & voluptates omnis generis intelligamus: quo Gręci fortè reſpiciẽtes πέμματα verterunt: id eſt, bellaria, ſeu cibi lautiores.

Vulgata verſio *uinacia uuarum* vertit, parum rectè.

Notandum autem hoc loco beneficia omnia diuina, quę vel in populum Iſraëliticum collata ſunt, vel in Eccleſiam aut totum genus humanum conferuntur, ex mero amore profecta eſſe, & ſemper proficiſci.

VERSVS II.

Et emi eam mihi quindecim argenteis & homer hordei: & Lethegh hordei.

MAndati exequutio eſt itidem Elliptica ex mandato vicisſim ſupplenda: vt ſit: amaui & comparaui mulierem, *&c.* quæ fidem mihi non ſeruauit, ſed fornicata eſt.

Emi eam.] Cùm dicat Propheta ſe emiſſe mulierem, intelligenda eſt ancilla & meretrix alij obligata, à quo redimenda fuerit. Mancipia enim tantùm redimebantur: aut preciũ ad animum meretricis conciliandum dari, referri videtur. Redimit autẽ eam aut ſibi conciliat Propheta, vt pro vxore habeat. Verbum Hebraicum כרה, non tantùm emere ſignificat, ſed plerumq; etiam fodere: quam ſignificationem vetus hoc loco parum commodè retinuit.

Quindecim argenteis.] Pleriq; argẽteos pro ciclis accipiunt, præſertim Ioſephi authoritate freti.

Et homer hordei.] Græci & Hieronymus chorum interpretantur, cuius pars dimidia Letheg facit, vnde & vetus *dimidium chori* vertit. Græci pro Letheg γομὸρ verterunt, quæ vox cùm hoc tãtùm loco legatur, obſcurior eſt eius ſignificatio.

Quod si autem hordeum cum pecunia iungatur, precium fortasse constituit, quo tuum mancipium redimi solebat. Nam quod Hieronymus subtiliter in numeris philosophatur, & ad tempus egressus populi ex Ægypto accommodat, alienum & superuacaneum est.

VERSVS III.

Et dixi ad eam diebus multis sedebis mihi, non fornicaberis nec eris viro: & ego etiam ad te.

ALtera pars exequutionis mãdati, & pœna fornicationis, qua adultera à viri sui consuetudine excluditur, & ab aliorum etiam virorum consuetudine arcetur.

Dixi.] Cùm scilicet eam ad ingenium redire, & cum prioribus amatoribus fornicari viderem.

Sedebis.] Id est, manebis quasi vidua à me deserta.

Nec eris uiro.] Vel repetitio est eiusdem sentẽtiæ, vel sensus est, non nubes alteri.

Ego *quoq; ad te.*] Ambiguitas etiam hîc est ex verborũ defectu. Alij igitur negationem ex prioribus membris repetendam esse putant, & verbum commodum subintelligendum: hoc modo: *Et ego etiam ad te non ingrediar*: id est, non frueris interim mea etiam consuetudine.

Alij autem affirmationem esse volunt, vt sit sensus: *Et ego ad te*: id est, tibi interim obstrictus manebo: vel ad te tandem ingrediar, & rursum in fœdus matrimonij recipiam, si te resipuisse intellexero.

VERSVS IIII.

Nam diebus multis sedebunt filij Israël sine Rege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine statua, & sine Ephodt & Theraphim.

Ἀπόδοσις alterius partis similitudinis, de pœna est. Vt vxor adultera à mariti consuetudine arcetur & excluditur: Ita populus idololatricus à Dei quasi cõsuetu-

ſuetudine excludendus eſt, & in exilium eijciendus.

Amplificatur autem pœna & exilium eorum bonorum, quibus populus ſpoliandus erat, quæ duplicia ſunt, Politica & Eccleſiaſtica.

Sedebunt.] Scilicet in exilio longo & diurno.

Sine rege & principe.] Per *reges* & *principes* regni & Reipub. ornaméta & prę ſidia omnia intelliguntur, quibus tum maximè confidebant. *Regem* autem intelligit Propheta, qui ex proprio populi corpore eſſet: nam aliàs reges alienos & dominos & tyrannos eſſent habituri.

Sine ſacrificio.] Per ſequentia quatuor cultus externus, cæremoniæ omnes, & religionis inſtrumenta & ornamenta intelliguntur. Vt autem religio Iſraëlitica ex Moſaica & ſuperſtitionibus ethnicis mixta fuit: Ita Propheta alternatim quæ ad veram religionem, & quæ ad ſuperſtitiones ſpectabant, hîc nominat. Ad Dei enim cultum verum ſacrificium & Ephodt: ad idolorum autem ſtatuæ & Theraphim ſpectabant, vt ita religionis confuſionem perſtringat Propheta. Eſtq; in tribus, aut ſaltem duobus vocabulis ſingulare pro plurali. Sacrificium igitur primum de legitimis & à Moſe mandatis ſacrificijs intelligendum eſt.

Sine ſtatua.] Vox Hebraica מַצֵּבָה ſignificat in genere ſtatuã quæ erigitur, vel in mortuorum memoriã conſeruandam, vel vt ſit rerum geſtarum monumentum, vt in trophæis & arcubus triumphalibus fieri cõſueuit. Vel cultus cauſſa qui ad eam fiat. Qua ſignificatione etiam hîc vox accipienda eſt. Reſpicit enim Propheta ad ſtatuas vitulorum in Bethel & Dan, à rege Ieroboam collocatas.

Græci hîc θυσιαστήριον: id eſt, *altare* vertunt, quaſi מִזְבֵּחַ quod & magis cum ſacrificio conuenit. Quod vetus etiam & alij quidam ſequuntur. Sed Propheta videtur ſtudio vicinam vocem ex idolorum cultu ſumptam hoc loco poſuiſſe, eo quo diximus conſilio.

Et ſine Ephodt.] Veſtis erat ſacerdotalis, quæ Exod. 28. deſcribitur, cui adiunctum erat pectorale, in quo erãt Vrim &

Thumim. Sed erant plura genera Ephodt. Erat enim quoddam lineum quod omnes sacerdotes gestarent, vt patet 1. Samuel. 22. Græci in Exodo & Leuitico vertunt ἐπωμίς: id est, superhumerale. Sed hoc loco ἱεράτειαν vertunt: id est, sacerdotium μετωνυμικῶς potius, quàm propriè vocem reddentes, quod Ephodt ornamentum sacerdotale esset.

Et Theraphim.] Theraphim simulacra erãt quæ Gentes colerent: vnde Gen. 31. Laban vocat Deos suos Theraphim.

Quod autem eiusmodi simulacra homines referrent, apparet 1. Samuel. 19. vbi Michol in lecto pro Dauide substituisse Theraphim vt eos falleret qui Dauidem quęrerent. Hæc igitur vox, & statua idololatrica est, & significat, vel in genere idola, vel certam idolorum speciem. Græci hîc vertunt δήλωσιν: id est, manifestationem: qui ad vsum horũ idolorum respexisse videntur, quòd ab ijs futurorum reuelatio peteretur, vt modò dicemus.

Vt enim sacrificium & statua cultus exercendi instrumenta fuêre: ita Ephodt & Theraphim non tantùm cultus caussa habebantur, sed ijs etiam ad futura cognoscenda vtebantur. De Ephodt quidem apparet, 1. Samuel. 30. v. 7. Vbi Dauid iubet vt sacerdos sibi applicet Ephodt, vt interroget Iehouam, num hostes suos persequatur.

De Theraphim autem constat ex Ezechiele 21. v. 26. Vbi rex Babylonicus dicitur in biuio stetisse & consuluisse Theraphim. Et ex Sachariæ cap. 10. v. 2. vbi dicitur: Theraphim loquuti sunt vanitatem: hinc igitur Græci hoc loco pro Theraphim δήλωσιν vertisse & eodem Sacharię loco τοὺς φθεγγομένους: id est, loquentes vertisse videntur.

VERSVS V.

Postea conuertentur filij Israël, & quærent Iehouam Deum suum, & Dauid regem suum: & pauebũt ad Iehouam, & ad bonum eius in nouissimo dierum.

ALtera pars concionis, nempè consolationis & cõcio gratiæ, qua Israëlitas resipiscẽtes erigit & confirmat Propheta.

Quod

Quod si autē pars postrema versus tertij: *Ego etiam ad te*: de obligatione vel instauratione matrimonij inter Prophetā & adulterā intelligatur, tūc hîc eius partis ἀπόδοσις atq; ἐξήγησις est. Atq; hîc iam manifestè Propheta nō tàm de corporali in regnū & patriam restitutione populi, quàm de spirituali ab idololatria & profanitate omni, ad verā Dei agnitionem & cultum, Israëlitarum & Gentium conuersione concionatur Propheta: disertè enim nominat Dauidem *regem*: id est, Mesiam Christum, id quod Iudæi etiam ipsi hoc loco fatentur.

Ideo autem Christus Dauid à nostro Propheta & alijs vocari solet, quod ex Dauidis posteritate secundum carnem nasciturus esset, & quòd promisio regni æterni peculiariter Dauidi facta, celebris apud omnes esset. Et sic appellatur Esaiæ 37. v. 35. Et protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum.

Et Ieremiæ 30. v. 9. Seruent Iehouæ Deo suo, & Dauidi regi suo, quem suscitabo eis.

Eademq́; appellatio apud Ezechielē est. c. 32. v. 24. & 37. v. 24. & Ierem. 23. v. 5. & 33. v. 15. Germen Dauidis dicitur.

Rex autem dicitur, quòd verè sit rex Ecclesiæ, isq́; æternus, quam appellationem & titulus crucis habuit, vt voce Hebraica Mesiæ & Græca Christi exprimitur: vnde Psal. 2. v. 2. Mesias dicitur. Et Danielis 9. v. 25. Mesias dux dicitur. Et Ioan. 1. v. 42. dicitur: Inuenimus Mesiam, quod est, si interpreteris, Christus. Et v. 5. Rabbi, tu es rex ille Israël? Et Luc. 23. v. 2. dicit se Christum: id est, regem esse.

Cùm autem Iehoua & Dauid, rex seu Mesias coniungantur, & idem honor & cultus ipsis tribuitur, deitatem Mesiæ seu Christi non obscurè innuit Propheta: de qua re plura apud Lutherum in hunc locum legantur. Simulque docet cultum Dei à Mesia fide & obedientia separari non posse.

Reuertentur.] Vel conuertentur seu resipiscent, & ab idolis & profanitate omni ad verum Deum conuertentur.

Quærent.] Id eſt, dedent ſeſe Eccleſiæ, & regno Chriſti, & in Deo, & Meſsia ſpem & fiduciam collocabunt.

Pauebunt.] Id eſt, reuerebuntur & ſincerè colent Iehouam, &c. Alij Metaphoram hîc eſſe volunt ab auibus, quæ perterrefactæ celeriter auolant. vt ſit ſenſus: *pauebunt*.i. magna celeritate ſeſe ad verum Deum Meſsiam & Eccleſiam recipient. Quo pacto & infrà cap.11. v.10.& 11.accipi videtur.

Ad bonum.] Id eſt, vel Chriſtum, cuius opera & beneficio, beneficia Dei omnia ad nos perueniunt. Vel miſericordiam & gratiam quam ſolicitè conſeruare deinceps ſtudebunt, nec temerè aut facilè effundere, vel beneficia Dei omnia quę iam reconciliati cũ Deo percipient, & pro quibus grati eſſe ſtudebunt.

Nouißimo dierum.] Hebraiſmus eſt, pro poſtremis temporibus. Deſignatur autem tempus quo nato Chriſto, è rege Dauide Euangelium promulgatum eſt: quod Paulus plenitudinem temporis appellat 1. Hebræorum.1. Quo tempore multi ex Iſraëlitis ſimul cum Gentibus Euangelium ſunt complexi. Atq; hactenus tria capita, & tres primæ cõciones, eiuſdem ferè argumenti fuêre.

CAPVT QVARTVM.
VERSVS PRIMVS.

AVdite verbum Iehouæ filij Iſraël, quia diſceptatio (eſt) *ipſi Iehouæ cum incolis huius terræ, quoniã nulla* (eſt) *veritas, nulla* (eſt) *miſericordia, & nulla* (eſt) *cognitio Dei in terra.*



HACTENVS (vt diximus) tres cõciones fuêre, quibus publica populi Iſraëlitici idololatria reprehẽditur. Sequuntur nunc deinceps tres aliæ conciones, quibus promiſcuè tum idololatria, tum alia peccata, & populi, & ſacerdotũ, & principum reprehenduntur, & pœnæ exilij, & aliarum calami-

calamitatum prædicuntur, quæ tamen omnes ſpe veniæ & promiſsione gratię clauduntur: & hæ omnes longiores ferè ſunt & apertiores: maiori enim ex parte proprio ſermone ſine Allegorijs & ſimilitudinibus longioribus, quales in tribus primis fuêre proponuntur. Quare in his & breuiores in explicando erimus, & in conuertendis Hebræis maiori libertate interdum vtemur.

Præſens autem cócio ad finem verſus quarti, capitis ſexti (vt vulgo diſtinguitur) durat.

Pars prior huius concionis vt & aliarum concio legis eſt. Atq; hîc perpetua eſt peccati & pœnæ, ſeu accuſationis & comminationis alternatio. Et hoc Caput in duas partes diuidi poteſt.

Primùm enim varia peccata in genere recenſentur & accuſantur.

Deinde ad verſum vndecimum & deinceps rurſum idololatriæ ſpecialis reprehenſio eſt.

Audite.] Exordiolum ad attentionem conciliandam per Apoſtrophen.

Quia diſceptatio.] Propoſitio & ſumma eſt primæ partis cõcionis. Quaſi dicat, Deus vos grauiſſimorum ſcelerum & peccatorum accuſat.

Vox autem *diſceptatio* Hebraicè ריב vox forenſis propriè eſt, quæ actionem ſeu accuſationem quæ in foro fit, ſignificat.

Iehouæ.] Prophetę enim non tàm ſuam quàm Dei cauſſam agunt, cùm homines peccati accuſant. Eſtq; antecedens pro relatiuo.

Incolis.] Mutatio perſonæ eſt, pro vobiſcum, qui hanc terram incolitis.

Nulla ueritas.] Primùm virtutes ipſis detrahit, quarum tres nominat, per quas & alias multas intelligit: harum duæ priores, veritas & miſericordia ſeu humanitas ſeu beneficentia, ad poſteriorem tabulam ſpectant, & omnia virtutum officia erga proximũ ad ſecundam tabulam ſpectãtia comple-

complectuntur. Tertia autem, notitia Dei ad primam tabulam spectat, & vniuersum Dei cultum: & religionem complectitur, & fons est omnium aliarum virtutum.

VERSVS II.

(Sed) *peierare & mentiri, & occidere, & furari, & mœchari eruperunt, & sanguis sanguinem tangit,*

ANtithesis qua peccata virtutibus opposita recitantur. Opponuntur autem peierare & mentiri, veritati: Cætera tria humanitati & charitati.

Infinitiui autem ponũtur pro nominibus ad Emphasin, quod verba non solùm vitia ipsa, sed etiam vitiorum vsum, & praxin significant.

Peierare.] In Hebræo hîc aliquid subintelligendum videtur: vt infrà ca. 10. v. 4. fit: vbi verbo אלה additur aduerbium שוא seu inuanum.

Eruperunt.] Metaphoram hîc esse volunt ab aquis, quæ cùm inundant ruptis aggeribus, longè lateq; agros & campos vndis obruunt, vnde summa hîc peccandi licentia significatur, qua effractis legũ repagulis scelera impunè grassantur.

Et sanguis sanguinem tangit.] Dupliciter hoc membrum intelligi potest, vel specialiter, vt sanguines pro cædibus & homicidijs accipiatur, & etiam humanitati opponitur. Vel generaliter, vt per sanguines non tantùm homicidia, sed scelera & flagitia omnia corporalia, vt sanguine atque morte digna intelligantur. Quo pacto vox accipitur Esaiæ 1. v. 15. & 4. v. 4. Qui sensus etiam hîc magis congruere videtur, quod homicidij mentio antè facta sit, & hunc sensum etiam Ionathan sequitur.

VERSVS III.

Propterea lugebit terra, & excidetur omnis qui habitat in ea cum bestijs agri, & cum volucribus cœli: etiam pisces maris colligentur.

Commina-

COmminatio excidij & vastitatis.

Lugebit.] Vel prosopopœia est, qua terrę matris quasi personã induit Propheta, quę quòd liberis suis: id est, incolis animalibus & rebus alijs orbata sit, vehementer lugeat, nec consolationem admittat. Vel in voce *terræ* Metonymia est, vt terra pro incolis posita sit, vt sequitur.

Excidetur.] Vox Hebraica significat, vel infirmari, quem sensum vetus retinuit: vel ex infirmitate perire, & in genere excidi atque è medio tolli, quo sensu nos vertimus. In hac autem voce & præcedente אבל paronomasia est.

Græci autem hoc verbum omiserunt, qui sic verterunt: *Propter hoc lugebit terra cum omnibus qui inhabitant eam.*

Cum bestijs.] Amplificatio vastitatis, quòd bestiæ vnà cum hominibus sint perituræ: Hebraicè est *in bestia*: quem hebraismum vetus hoc loco retinuit, cùm in hoc loco pro *cùm* ponatur, vt aliàs etiam poni solet.

Pisces maris.] Scilicet qui longiùs à periculo abesse videntur, & quasi alium mundum incolunt, ac proinde ab armis, fame, & morbis tuti.

Colligentur.] Id est, peribunt & è medio tollentur

VERSVS IIII.

Vtiq; nemo contendat, nemo alium arguat: nam populus tuus est quasi contendentes cum sacerdote.

PEccati amplificatio est duplex.

Prima, quòd eo impudentiæ processerit populus vt nullas admonitiones, aut reprehensiones amplius ferre posit aut velit.

Secunda, quod ita insaniant, vt etiam cum sacerdotibus & prophetis, qui eos officij admoneant, expostulent, seq; velut in iudicio pugnando & inficiando defendant.

Nemo contendat.] Respicit Propheta ad primum versum huius capitis, vbi dixit disceptationem esse Iehouæ cum populo. Sunt enim ריב quę eo loco fuit, & יָרֵב quæ hoc loco est, similes.

Quasi.] Particula similitudinis, asseueratiuè posita videtur vt sit nota certitudinis, vt aliàs etiam fit. Sensus igitur est, Si à sacerdotibus reprehenduntur, litem ijs mouent. Erat autem sacerdotum docere & reprehẽdere: populi autem audire & morem gerere. Et sacerdotum vt Dei & oraculorum diuinorum interpretum & religionis antistitum semper magna fuit autoritas, etiam apud Ethnicos. Vnde & apud Plautum, in Rudente dicitur:

Quis est homo tanta confidentia
Qui sacerdotem violare audeat?

Quidam ex Hebræis priorem partem versus sic interpretatur: Vos, inquit, contestamini Prophetas veros, ne vobiscum disceptent, neq; vos arguant, vt dicitur Amos ab Amasia sacerdote Bethel, ne prophetes contra Israël, neque stilles contra domum Isaach. Quæ interpretatio eodem ferè redit, nisi quòd de sacerdote illa intelligi velit, quæ nos de populo intelleximus.

VERSVS V.

Corrues igitur interdiu, & corruet etiam Propheta tecum nocte: & succidam matrem tuam.

RVrsum pœna est: nempè cæcitas, & ex cæcitate lapsus & interitus. Respicit autem hîc Propheta ad verba Mosis, Deut. 28. v. 28. & 29. Percutiet te Iehoua amẽtia & cæcitate, & stupore cordis, palpabisq; in meridie, sicut palpat cæcus in caligine. Quæ verba Esaias cap. 59. v. 10. sic extulit: Expectauimus lucem, & ecce tenebræ, splendores, & ecce in tenebris ambulauimus, palpauimus sicut cæci parietem, & veluti orbati oculis attrectauimus, impegimus in meridie, vt in crepusculo: & hunc sensum esse, versus etiam sequens declarat.

In oratione mutatio est numeri & personæ: oratio enim ad populum quasi ad vnum hominem per Apostrophen dirigitur.

Corrues.]

Corrues.] Verbum Hebræum vtrumq; significat, & impingere & corruere. *Corrues*, scilicet ex cæcitate

Interdiu.] Alij hodie vertunt. Sed Allusio est ad Mosen, & Antithesis in voce noctis ostendit de die intelligendū esse.

Propheta.]Id est, prophetę falsi qui seducunt.

Nocte.] Subintelligenda est particula similitudinis, quæ desideratur ex consuetudine linguæ: vt sit sensus: *Corrues interdiu & corruet propheta tecum, ut nocte quis corruit.*

Succidam.] Id est, perdam. *Matrem tuam.*]Id est, cœtum, congregationem, vniuersitatem, synagogam, & corpus ipsum populi. Matrem autem posuit, quòd ea vox cum præcedēte congruat. Sunt enim similes voces עִמָּךְ tecum, & אִמֶּךָ matrem tuam.

VERSVS VI.

Succidetur populus meus, eò quòd sit absq; scientia: quoniam tu scientiam repudias: & ego repudiabo te, ne sacerdotio fungaris mihi: & (quoniam) *oblitus es legis Dei tui, ego quoque filiorum tuorum obliuiscar.*

PEccatum est & pœna simul. Et cùm hactenus ab initio capitis cum populo egisse videatur Propheta, hîc iam apertè sermonē ad sacerdotes conuertit, eorumq; ordinem accusat, & pœnas ipsis denunciat. Affirmat enim sacerdotum prǽcipuè culpa populum errare, peccare & perire, quòd parùm fideliter docerent, nec legem Dei proponant, explicent, & inculcent, id quod ipsorum officium requirebat, & diuinitùs ipsis mandatum fuit. Et quòd Prophetas legem & veram doctrinam populo inculcantes impedirent, qua de re Amos collega Hoseæ grauiter etiam conqueritur cap. 7. v. 10. & deinceps. Atq; hæc agit Propheta vsque ad versum ferè vndecimum. Quare hæc diligenter obseruanda sunt, quod magis ad nostrum ordinem pertineant. Simul autem in hoc versu correctio quasi est versus

quarti vbi videri poterat Propheta sacerdotes laudare & iustificare.

Succidetur.] Hic versus cum proximo cohæret, similitudine huius vocis & penultimę proximi versus, quod etiam Latinè hîc apparet in succidam & succidetur.

Hebraicè præteritum est pro futuro, ad rei futuræ certitudinem: vt aliàs etiam fieri solet, perierunt: id est, certissimè peribunt.

Græcus hic sicut & proximo versu pro verbum assimulandi parum commodé vertit.

Vetus conticuit, vt proximo versu tacere feci, itidem incommodé. Est & numeri anomalia. *Excisi sunt populus* per Synthesin.

Quod sit absq; scientia.] Id est, quòd cæcus sit, & quasi in tenebris ambulat. Scientiam autem vocat veram de Deo doctrinam, quæ lux mentis & vitę est. Quòd populus, inquit, peccat, & pœnas sibi accersit id pręcipuè fit, quia non rectè docetur de voluntate Dei, & vero Dei cultu.

Quoniam tu.] ô Sacerdos, & potest singularis etiam pro plurali esse: vt intelligatur & summus sacerdos, & totius sacerdotum ordo compellari & reprehendi. Quòd si particulam *igitur* addamus, planior erit sententia, vt sit: Succidetur populus, quòd sit absq; scientia. Quia igitur tu sacerdos populum non doces, *&c.*

Scientiam repudias.] Id est, vel ignoras ipse quod in lege Dei sit, nec studes cognoscere veritatem.

Vel etiamsi scias, tamen in gratiam regum & emolumenti tui caussa dissimulas, nec populum publicè doces. Nec per te licet prophetis liberè ad populum concionari, & veram doctrinam proponere.

Repudiabo te.] Pœna iusta est cùm officium non faciant, vt abdicentur. In *repudias* autem & *repudiabo* rursum paronomasia est. In verbo autem Hebraico noua & inusitata forma est, ad pœnæ fortasse atrocitatem, magnam & inusitatam significandam.

Et quia.

Et quia.] Eandem ferè sententiam alijs verbis repetit, ad rei exaggerationem. Sed hîc pro scientia scientiæ regulam & normam, nempe legem diuinam per Mosen traditam nominat, quod diligenter obseruandum est. Prophetæ enim vt in præfatione diximus, legis diuinæ quasi νομοφύλακες erãt, eiusq; custodes & interpretes, qui homines ad eã suis concionibus reuocarent. Et Prophetæ ex lege Dei suarũ etiam concionum autoritatem repetunt, & ad eam perpetuò ferè in suis concionibus alludunt & respiciunt.

Quia oblitus es.] Id est, non publicè proponis legem, & populo inculcas. Vetus in fœminino vertit oblita es contra Grammaticam & contextum.

Filiorum tuorum.] Extendit pœnam etiam ad posteritatem. Vt enim nullum est munus magis diuinum, magisq; necessarium, quàm Ecclesiam Dei verbo regere: Ita nulla est maior ingratitudo & perfidia, quàm eorum qui titulo & opibus contenti tam sacrum munus vel frigidè & negligenter obeunt, vel prorsus negligunt & contemnunt, vt faciunt hodie pleriq; Pontifici & Episcopi. Quare etiam maioribus pœnis Deus eam vindicat.

In hoc ergo versu ignauia & infidelitas in discenda & docenda doctrina cœlesti reprehẽditur. Quæ res studium doctrinæ cœlestis solidæ cognoscendæ, & alijs fideliter proponendæ in nobis acuere debet: maledictus enim qui facit opus Domini fraudulenter, vt dicitur Ieremiæ 48. Et in Apocalypsi ca. 3. dicitur: Quoniam tepidus es, nec frigidus, nec feruidus, euomam te ex ore meo.

VERSVS VII.

Sicut multiplicantur, sic peccant mihi, ideo gloriam eorum in ignominiam mutabo.

SIcut.] Alterum peccatum sacerdotum est, quod quanto magis numero & opibus crescant, tanto magis contra Deum peccent & idololatriam atque errores ferant & confirment.

Ideo gloriam.] Pœna additur, qua sacerdotij dignitate priuentur, & dignitas illa in ignominiam mutanda sit.

Græcus hoc loco θήσομαι: id est, *ponam* vertit, quod hoc loco alienum est.

VERSVS VIII.

Peccatum populi mei comedunt, & ad iniquitatem eorum leuant animam suam

ALiud sacerdotum peccatum est, nempè luxus & auaritia, quòd neglecto docendi munere quæstum & lucrum tantùm spectent.

Peccatum.] Id est, sacrificium seu sacrificia, pro peccatis per Metonymiam. Sic enim vox & alibi accipitur: vt Exod. 29. v. 14. Peccatum est: id est, sacrificium pro peccato. Ezechiel. 48. v. 22. faciet vitulum peccati: id est, sacrificij pro peccato. Et Esaiæ 53. v. 10. Cùm posuerit animam suam peccatum. 2. Corinth. v. 21. Eum qui nouit peccatum pro nobis fecit peccatum: id est, sacrificium pro peccato.

Quod igitur affirmat sacerdotes comedere & deuorare sacrificia populi, significat eos sacrificia & stipendia percipere, neglecto docendi officio, luxum & auaritiam eorum perstringit.

Et ad iniquitatem.] Eiusdem sentētiæ repetitio esse videtur: anima autem pro voluntate & desiderio accipitur: vt Gen. 23. v. 8. Si est cum anima vestra vt sepeliam meum: id est, si vobis placet. Et Deut. 23. v. 24. Cùm ingressus fueris vineā proximi tui, comedes vuas secūdum animam tuam: id est, quantum placet.

Leuare igitur animam ad rem, significat expetere rem & rei inhiare: vt Deut. 24. v. 15. Eadem die reddes ei mercedem laboris, ante occasum Solis, quia pauper est, & ad eam mercedem leuat animam suam: id est, cupidè illam expectat & expetit.

Et Ieremiæ 22. v. 27. Ad terram ad quam eleuant animam suam, vt reuertantur illuc non reuertentur.

Leuare igitur animam ad iniquitatem populi, est, iniquitatem populi expetere, & cupidè desiderare, vt populus peccet. Atq; ita sacrificia pro peccatis cumulentur, vnde luxum & auaritiam suam sacerdotes expleant, vt lautè viuāt & ditescant.

Animam suam.] In Hebræo numeri est anomalia ipsius pro ipsorum.

VERSVS IX.

Et erit sicut populus sic sacerdos, & visitabo super eum vias eius, & opera eius rependam ei.

VERSVS X.

Comedent & non saturabuntur, scortabuntur & non multiplicabuntur, quoniam Iehouam desierunt obseruare.

POena est: q.d. ijsdem pœnis afficientur sacerdotes, quibus populus afficitur.

Visitabo.] Id est, mercedem operibus dignam repēdam.

Comedent, &c.] Id est, etiamsi multum vorent, & multas opes cumulent: tamen non saturabuntur, quæ auarorum omnium pœna est. Respicit autem hîc ad id quod versu octauo dixit: *Peccatum populi mei comedunt.*

Scortabuntur.] Id est, quamuis promiscuis libidinibus indulgeant: tamen non procreabunt numerosam sobolem, sed erunt steriles, vt tandem memoria ipsorum deleatur.

Vtitur autem vocabulo *scortandi* pro liberis libidinosè operam dare, alludens ad mores ipsorum, & caussam pœnæ nempè idololatriam scortationem spiritualem.

Non multiplicabuntur.] In Hebræo eadem vox est, quæ suprà v. 2. fuit, de peccatis, quæ quasi inuaderent, eademque Metaphora hîc accipi videtur pro tali multiplicatione liberorum quæ longè lateq; sese diffunderet, qualem ipsi expectabant. Quare obliquè stultitiam eorum perstringit, qui spes

ſpes immenſas ſibi ex ſceleribus ſuis fingebant. In ſumma ſignificat Propheta eos nō potituros deſiderijs, quæ captarent & ſectarentur.

Quia Iehouam deſierunt.] Repetit breuiter peccatum, quod ſacerdotes à vero Deo ad idola defecerint, & pro veri Dei cultu cultum idolorum in Eccleſiam introduxerint aut admiſerint.

VERSVS XI.

Scortatio & vinum & muſtū auferunt cor (ipſorum.)

HActenus cum ſacerdotibus egit: nunc querela eſt de cæcitate & furore tū ſacerdotū, tum populi qua fit vt vero & viuo Deo deſerto idola lignea & lapidea pertinaciter colant. Hanc autem cæcitatem comparat cæcitati & inſaniæ quæ ex ebrietate & ſcortatione contrahitur. Homines enim libidinibus & heluationibus addicti, ita obbruteſcere ſolent, vt omnem ſenſum & intellectum amittant, nec reuerentia Dei tangantur, nec honeſtatis aut vtilitatis rationem habeant, nec pœnis aut calamitatibus, nec vlla re alia moueantur, ſed tanquam cæci in cœno voluptatum & heluationum ſeſe volutent: vnde de vino ait Ariſtoteles in problematis: οἶνος τετυφωμένους ποιεῖ καὶ μανικούς: id eſt, vinum dementes & furioſos reddit. Et apud Comicum: Ebrij nec pes nec mens officium facit. Conſuetudine autem inſaniæ durata vitia vino concepta, etiam ſine vino valẽt, vt eleganter ait Seneca. Et de amore Archilochus: Multam, inquit, caliginem oculis offudit amor, teneram mentem ex pectore furatus.

Vt igitur ebrietas & ſcortatio cor: id eſt, iudicium mentis auferre ſolent, ita & idololatria excæcat homines quos ſemel occupauit, nec poſsint deinde facilè videre aut intelligere quòd errent. Primùm igitur hîc cæcitas idololatrarū indicatur & deploratur. Deinde etiam ſcortatio & ebrietas vt multarum calamitatum cauſſæ notantur.

Scortatio.] Hac voce pręſens verſus cū proximo cohæret. Alludit

Alludit enim ad id quod dixit, Scortabuntur & non multiplicabuntur.

Mustum.] Per vinum & mustum μετωνυμικῶς ebrietas intelligitur, vt per caussas effectus. Vino autem mustum addit, quòd citiùs inebriet & magis affligat propter vapores. Vnde & quidem hoc loco *potum inebriantem* vertunt, quod aliàs cicera dicitur.

Cor.] Cor pro mente, ratione, intelligentia & consilio hoc loco accipitur. Sic Iobi 12. v. 14. Qui aufert cor capitum populi, & errare facit eos velut in solitudine, pro quo v. 20. dixit: Et consilium senum tollit. Græci vertunt scortationem, & vinum & ebrietatem suscepit cor populi mei.

VERSVS XII.

Populus meus lignum suum interrogat, & baculus eius respondet ei: spiritus enim fornicationum decepit (eos) *& fornicantur à Deo suo.*

NVnc rursum ad populum seorsim orationem conuertit Propheta, eiusq; cæcitatem idololatriam apertiùs & specialiùs declarat, quòd lignum mortuum, mutum, surdum, pro Deo colat, & de rebus futuris interroget & consulat, & ab eo in aduersis auxilium expectet.

Populus lignum suum.] Id est, Deos ligneos μετωνυμικῶς. Simulque argumentum subest contra idololatriam.

Primum autem argumentum est cæcitatis hoc modo:

Qui lignum pro Deo colit admodum est cæcus.
Hoc populus meus facit. Ergò
Admodum cæcus est.

Deinde etiam argumentum subest contra idololatriam, hoc nempe:

Si lignum est, Deus non est,
At lignum est. Ergò
Deus non est: nec proinde colendus.

Vide hoc argumentum copiosè expositum apud Esaiam

44. vbi v. 19. dicitur: Non redit ad cor suum, non est scientia neq; intelligentia vt dicat: id est, cogitet & ratiocinetur hoc modo. Dimidium eius combussi igne, & carbonibus eius panem coxi, assaui carnes & comedi, ex reliquo autẽ feci simulacrum, vt ad ligneum truncum me curuem.

His igitur & similibus locis & cæcitas humana & stupor in rebus diuinis ostenditur, & deploratur: & interim pia ratio, prudentia & logica quasi in rerum diuinarum consideratione nobis commendatur.

Interrogat.] Id est, de rebus futuris consulit. Per *ligneos* autem *Deos* cuiusuis materiæ Deos intelligit Synecdochicõs.

Baculus.] Id est, lignum. Sed simul & alludere videtur Propheta ad cæcos qui baculos & scipiones pro ducibus viæ habent: Ita, inquit, idolis fidunt, & ab ijs consilium de rebus futuris expectat.

Spiritus enim fornicationum.] Id est, furor & cæcus impetus quo ad fornicationem & idololatriam fertur. Atque hinc apparet Prophetam proximo versu etiam de idololatria egisse: particula autem *enim*, pro affirmatiua, certè, vtiq; hoc loco esse videtur.

Decepit.] Ellipsis relatiui est (*eos.*)

A' Deo.] Hebraicè gemina præpositio est, quasi de sub Iehoua: & simul vnum verbum est pro duobus.

VERSVS XIII.

Super capita montium sacrificant, & super colles thura adolent, sub quercu & populo & therebintho, quoniam bona vmbra eius (est) *propterea scortabuntur filiæ vestræ, & nurus vestræ adulteræ erũt.*

VERSVS XIIII.

Nec visitabo super filias vestras cùm scortatæ fuerint, & super nurus vestras cum adulteria cõmiserint:

Quo-

Quoniam vos cum meretricibus seceditis, & cum scortis sacrificatis: itaq; populus qui non intelligit peribit.

SVper capita.] Pergit in idololatriæ & superstitionis descriptione, & loca nominat mõtes & lucos, in quibus more ethnico sacra fierent, quod Deus disertè vetuerat Deut. 12. v. 1, &c.

Montium.] Id est, vertices & cacumina in quibus sacrificasse videntur, quod ibi Deum magis præsentem & efficacem esse homines putarent.

Sub quercu.] Paucas species ponit pro alijs omnibus: aliàs enim passim sub quauis arbore frõdosa sacrificasse dicũtur.

Et therebinto.] Alij tiliam vertunt, alij vlmum, alij ilicem.

Quia bona umbra eius.] Id est, grata & amœna: vna caussa esse videtur cur in lucis & sub arboribus sacrificarent, quòd & locus amœnior esset, & vmbra grata in ea præsertim regione quæ callidior est.

Eius.] Id est, earum. Est enim Enallage numeri. *Propterea.*] Pœna idololatriæ peccato conueniens, vt videlicet scortatio animi scortatione corporum puniatur, quæ pœna idololatriæ fuisse etiam inter gentes dicitur: ad Rom. 1.

Nec uisitabo.] Id est, non puniam eas, non cohercebo, sed permittam vt liberè scortentur, ad maiorem ignominiam & dedecus suum augendum & cumulandum. Pœna enim & castigatio amoris & solicitudinis diuinæ signũ est, quod ita homines in viam reuocare conetur: vt dicitur ad Hebręos cap. 12. v. 6. Quem diligit Dominus castigat. Cùm igitur Deus non punit, extremæ abiectionis signum est.

Vos enim.] Redit ad peccatum, & idololatriam. In Hebręo ad verbum est: *Quia ipsi cum meretricibus separabunt se, & cum scortis sacrificabunt*: id est, quia vos facta à Deo secessione cum meretricibus: id est, idolis seu idololatris vos coniungitis. Si enim hęc cum præcedentibus coniungimus, in relatiuo ipsi & verbis sequentibus mutatio personæ est, tertia pro

secunda posita, & in verbis futurum est pro præsenti. Denique verbum *separatis* pro duobus positum est, vt sit, sicut diximus, separatis vos vel à Deo, vel vt alij ab vxoribus: id est, veri Dei cultoribus, vt versemini cum meretricibus: id est, idolis seu idololatris.

Itaq;.] Rursum & cæcitas populi deploratur & pœna denunciatur. Estq; quasi ἐπιφώνημα. In Hebræo Ellipsis est relatiui. Hebraicè enim est, *& populus non intelliget*: pro qui non intelligit.

Non intelligens.] Scilicet ignorantia affectata & accersita, qua spontè oculos claudat ne videat.

Peribit.] Verbum Hebraicum לבט ter tantùm legitur: hîc & Prouerb. 10. v. 8. & 10. Vnde & significatio eius minus certa est: & variè vertitur per impingere, festinare, claudicare, corruere, concidere, vapulare, puniri, & perire: & quidem verbum vapulandi cum verbo Hebraico ex parte congruit.

VERSVS XV.

Si fornicaris tu Israël: ne delinquat Iuda: & ne veniatis in Gilgal, & ne ascendatis Bethauen, & ne iuretis viuit Iehoua.

ADhortatio est ad Iudam ne exemplum Israëlis in idololatria sequatur, ne similes sibi pœnas attrahat, cuiusmodi Israël puniendus erat. Simulq; hac hortatione Israëlem quasi æmulatione ad pœnitentiam excitare conatur. Cùm enim Iuda adhuc publicè cultum Dei puriorẽ retineret, Israëlitas meritò puderet, qui publicè idola colerent. Vide suprà cap. 1. v. 7.

Si fornicaris.] Personarum mutatio est, pro, si fornicatur Israël ne delinquas ô Iuda. Ita enim Apostrophe ad Iudam apertior esset, & in sequentibus eadem seruaretur persona. Sequitur enim, ne ingrediamini.

Ne delinquat.] Scilicet fornicando, & idolis colendis.

Gilgal.] Duo loca ponit idolorum cultui destinata, & à

populo Iſraël frequẽtata Gilgal & Bethauen. Gilgal autem locus erat ad Iordanem, vbi primũ trãſmiſſo Iordane conſtiterunt, & caſtra poſuerunt Iudæi. Atq; ibi ad monumenti exſiccati Iordanis lapides duodecim ex alueo Iordanis ſumpti erecti ſunt. Ioſuæ 4. Et ibi paſcha celebrauit & populum circuncidendum curauit Ioſua: Ioſuæ.5. Ac proinde etiam ibi aliquandiu tabernaculum Dei poſitum fuit.

Hinc igitur propter loci celebritatem cultus inſtitutus eſt, & ſacrificia facta in populo Iſraëlitico, vt hîc apparet, & infrà 12.v.11.diſertè dicitur: in Gilgal boues immolãt. Et ca.9.v.15. Omnis malitia eorum in Gilgal. Vult igitur Propheta hunc locum & ſuperſtitionem quæ ibi exercebatur ab Iſraëlitis à Iuda vitari. *Bethauen.*] Sic dicta eſt Bethel à prophetis contemptus & ludibrij cauſſa, quod ibi Ieroboã vitulum aureum erexerat, & impium cultum inſtituerat, vt eſt 3. Reg.12.

Erat autem vrbs in finibus tribuũ Biniamin & Ephraim, tria circiter milliaria à Ieruſolyma diſtans, olim Luſa dicta, cùm ibi Deum in ſcala ſtantem vidiſſet, vt eſt Gen.28.

Sonat autem Bethauen domus iniquitatis ſeu vanitatis. In Bethauen igitur & Bethel tacita paronomaſia eſt, quæ Amos 5.v.5. clariùs exprimitur, cùm dicitur: Ne queratis Bethel, neq; Gilgal ingredimini: nam Gilgal demigrabit, & Bethel erit in Hauen: id eſt, vanitatem ſeu nihilum.

Et ne iuretis ibi uiuit Iehoua.] Hæc iurandi formula ſacra erat & pars cultus diuini: vt patet Deut.ca.6.v.13.& ca.10.v.20.

Non igitur prohibetur hîc iuſiurandum per nomen Iehouæ factum, ſed prohibetur ne ſimul idola cum Iehoua colat Iuda: partem enim cultus pro toto ponit: nõ enim probat Deus cultum vllum ſibi cum idolis communem: vnde Sophoniȩ 1.v.5.dicitur: Perdam eos qui iurãt per Iehouam, & qui iurant per Milchum.

Senſus igitur eſt: *Nec iurãdo, nec alijs modis in ijs locis & Iehouam & idola cum Iſraëlitis colas, ô Iuda.*

VERSVS XVI.

Quoniam sicut vitula rebellis rebellauit Israël: nunc (igitur) *pascet eos Iehoua sicut agnũ in latitudine.*

REdit nunc ad populum Israël, eiusq; rursum peccatũ & pœnam exprimit, quæ à Iuda vitari & caueri vult Propheta.

Sicut uitula.] Peccati descriptio & exaggeratio à simili: vt (inquit) vacca seu vitula indomita iugi impatiens est, ita populus Israël legis diuinæ iugum petulanter excusſit ne vlla ratione in officio & obedientia legis contineri posset.

Nunc (igitur) *pascet.*] Pœna est itidem similitudine exaggerata, vt, inquit, agno in vastis locis & solitudine procul à grege nihil est miserius: Ita efficiet Dominus vt populus in exilio in summa miseria, summisque periculis vagetur & oberret.

Pascet eos.] Scilicet per hostes.

VERSVS XVII.

Particeps simulacrorum Ephraim: dimitte eum.

RVrsum peccatum & pœna est. Estq; quasi Dei ad Prophetam querela, & simul mandatum ne amplius cum populo peruicaci rixetur: q. d. quia ab idolis diuelli nequit, iam Gentibus eum vastandum relinquere decreui. Quare desine posthac cum eo expostulare.

Ephraim.] Voce Ephraim decem tribus intelliguntur Synecdochicõs: fuit enim tribus hæc inter decem populosa & potens, & ex ea fuit Ieroboam qui primus idololatriam hanc publicè instituit.

VERSVS XVIII.

Recesserunt in potu suo: scortando scortati sunt: dilexerunt AFFERTE, idq; turpiter principes eius.

Rursum

RVrſum idololatria accuſatur, idq́; cõparatione ebrietatis & ſcortationis: hũc enim ſenſum eſſe verſus prȩcedens & ſequens docent.

Receſſerunt.] Scilicet à me. In Hebræo autem ſingulare eſt, *receßit*, quæ numeri Enallage frequens eſt. Hoc autem verbo reſpicit Propheta ad verbum סָרַר verſus 16.

In potu ſuo.] Hebraicè deeſt *in*, ſeu בּ. poſſunt & hȩc ſic verti: *contumax ſeu rebellus fuit uel eſt potus ipſorum*: id eſt, ex potu & ebrietate rebellarunt & contumaces atque refractarij facti ſunt. Et ſimilis phraſis atque figura eſt Prouerb. 20. v. 1. Deriſor eſt vinum, & tumultuatur Sechar: pro vinum deriſores efficit & Sechar tumultuoſos: atque ita ſenſus eodem redit.

Scortando ſcortati ſunt.] De hac phraſi vide cap. 1. v. 2.

Dilexerunt AFFERTE.] Ordo orationis inuerſus eſt, pro: *Principes eius turpiter dilexerunt* AFFERTE. In voce autem *Afferte*, Mimeſis eſſe videtur, à moribus meretricum ſumpta, quæ munera ab amatoribus flagitant hac voce, *afferte*. Hac autem voce Propheta vti videtur ad orationem ornandam paronomaſia. In vocibus enim duabus אָהֲבוּ הֵבוּ inſignis paronomaſia eſt, quæ Latinè exprimi non poteſt.

Idq́; turpiter.] In Hebræo nomẽ eſt pro aduerbio ſub intellecta præpoſitione בּ vel לְ: vide de Enallage ſubſtantiui.

Principes eius.] Hebraicè eſt *Clypei eius*: id eſt, protectores eius ſeu principes eius Metaphoricè: vt Pſalm. 47. v. vltimo. Præcipuè autem principes idololatriæ accuſat, vt paſsim etiam alibi.

VERSVS XIX.

Ligabit eam ventus in alis ſuis, & pudore afficientur propter ſacrificia ſua.

RVrſum peccato pœna ſubijcitur.

Ligabit eam uentus.] Similitudo eſt qua pœnæ certitudo & celeritas ſignificatur, quòd ira Dei quaſi turbine

populus

populus dissipandus & in exilium auferendus esset. In voce *ligabit*, rursum Allusio est ad primam vocem versus præcedentis. Ligare autem est pro ligatum & constrictum tollere & auferre. Vento autem alæ tribuuntur Metaphoricè, vt Psalm. 18. v. 11. & alibi.

Et pudore afficientur.] Eiusdẽ sententiæ repetitio est. Significat enim hoc loco pudore affici, non tantùm spe sua frustrari quàm in idolis & sacrificijs collocarunt, sed etiam vastari & perdi: vt Ieremiæ 9. v. 19. Quomodo vastati sumus, pudore affecti sumus vehementer.

Propter sacrificia.] Scilicet idololatrica: vide suprà v. 14.

CAPVT QVINTVM.

VERSVS PRIMVS.

AVdite hoc sacerdotes, & attendite domus Israël, & domus regis auscultate, quoniam vobis iudicium est, quoniam laqueus fuistis super Mispa, & rete expansum super Thabor.



PErgit in eadem concione, qua præcipuè idololatriam reprehendit, & pœnas pro ea minatur, idque vsque ad finem præsentis capitis. In hoc autem versu rursum attentio conciliatur & propositio repetitur ex versu 1. cap. 4.

Audite hoc sacerdotes.] Attentionis conciliatio est, qua & cóciones suas ad regnum Israël dirigit Propheta, & expresè duos summos in regno ordines magistratus nẽpè & sacerdotes compellat, vt eos attentiores reddat, magisq; vrgeat in quibus culpæ plurimum erat, interim tamen omnes ordines pariter accusat.

Quoniam uobis.] Propositio est, idem enim sensus esse videtur horum verborum qui fuit suprà cap. 4. v. 1. in his verbis: *Quia disceptatio est Iehouæ cum habitatoribus terræ.* vt sit: Deus

vos

vos ô Israëlitæ cùm aliorum scelerum, tùm in primis idolatriæ grauiter accusat. Ratio accusationis præcipuè ad reges & sacerdotes Israëliticos spectás: eorum enim culpa, consilio, & autoritate, maximè religio corrupta fuit, & idololatria & superstitio publicè introducta. Atq; ideo laqueis & retibus cóparat, quod vulgus rude & simplex sua autoritate & exemplo seducerēt, & secum in exitium pertraherent non aliter atque aucupes & venatores aues & feras laqueis & retibus capiunt, & captas interficiunt.

Duos autem montes nominat præaltos & celebres: hos duos pro omnibus ponere videtur, quod in montibus aucupia & venationes frequentiores esse soleant.

Alij in his duobus montibus peculiares cultus institutos fuisse putant.

Alij etiam milites & latrones in his mótibus collocatos, qui Israëlitas religionis caussa Ierusolymam cómeantes interciperent, sed hoc coactum & alienum esse videtur.

VERSVS II.

Mactando deflectiones profundas fecerunt: ego autem correctio (ero) *omnibus illis.*

PRimùm accusat religionis corruptelam à principibus & sacerdotibus inuectam. Deinde pœnam minatur: hæc enim simplicissima sententia esse videtur.

Mactando.] Mactationem seu lanienam ironicè vocat religionem Israëlitarum, idq; duplici maximè de caussa.

1. Quòd in externis tantùm sacrificijs cumulandis pietatem collocarent.

2. Quòd deprauata religione homines quasi laqueis captos in exitium præcipitarent, & quasi mactarent principes & sacerdotes.

Deflectiones.] Alij declinantes seu apostatas vertunt. Sed Psalmo 101. v. 6. Vox Hebraica pro abstracto poni videtur, cùm dicitur: Nó ponam ante oculos meos rem iniquam, facere deflectiones odi.

Profundas fecerunt.] Verbum Hebraicum הֶעְמִיקוּ & actiuè & transitiuè & intransitiuè ponitur, & significat non tantùm profundare, vt ita dicam, seu profundū esse, sed etiam remouere, recedere, augere & cumulare: vt Esaiæ 29. v. 15. Vę illis qui profundi sunt à Domino: id est, procul recedunt ab eo. Et 31. v. 6. Reuertimini ad eum contra quem profundauistis defectionem: id est, profunde & grauiter defecistis.

Sensus igitur est: *Principes & sacerdotes profundas in mactatione sua*: id est, falsa & pernitiosa religione deflectiones fecerunt: id est, grauiter religionem corruperunt, eaque re grauissimè Deum offenderunt, & sibi atque alijs exitium attrahūt. Vt autem conspiciatur in hoc loco obscuritas, versionum varietates quasdam notabimus.

Græci: captantes prædam timuerunt.

Vetus: victimas declinastis in profundum.

Pagninus. Et ad immolandum qui declinant à via rectæ calidum inierunt consilium.

Alius: Altam facientes cędem noxij.

Nostra: De sencke dem med slachten och forløbe dennom selffuer.

Quod si pro deflectiones, declinantes seu Apostatas legamus, & שַׁחֲטָה pro substantiuo accipiamus, sensus hic erit: *Apostatæ isti mactationem profundant*: id est, magnam cœdem faciunt: id est, magnam partem populi falsa sua religione mactant & quasi interficiunt.

Et ego disciplina.] Id est, ego eos castigabo. Pagninus vt phrasis sit melior addit *uir*, & sic vertit: *Et ego uir disciplinæ ero omnibus illis.*

VERSVS III.

Ego noui Ephraim: & Israël non est absconditus mihi, quoniam iam fornicatus est, & pollutus est Israël.

IDololatria Israëlis: id est, totius populi nunc accusatur.

Et ego noui.] Id est, ita manifestum est peccatum Israëlis, vt id negari, aut celari nullo pacto possit.

Ephra-

Ephraim.] Ephraim pro toto populo accipi diximus ca.4.

Quoniam fornic.] In Hebræo personæ mutatio est: *Fornicatus es ô Ephraim.*

Et pollutus.] Rursum repetitio est eiusdem sententiæ.

VERSVS IIII.

Non dabunt opera sua vt ad Deum suum reuertantur: quoniam spiritus fornicationum est in medio eorum, & Iehouam non norunt.

QVerela est de cæcitate & proteruitate populi, quæ fit vt non de pœnitentia cogitet.

Non dabunt.] Id est, non dant operam. Alij vertunt, *non permittunt opera*, quod minus hîc conuenire videtur.

Quoniam spiritus fornic.] Id est, spiritus Impudicitiæ, qualis est meretricum & omnium impudicè amantium, quos nihil pudet, quique nullo honestatis aut vtilitatis sensu tanguntur, sed proni tantùm in libidines feruntur: vide sup. cap.4. vers. 12.

Et Iehouam non norunt.] Id est, nolunt ad eum colendum redire.

VERSVS V.

Et testificabitur superbia Israël in faciē eius, & Israël & Ephraim corruent propter iniquitatem suam, corruet etiam Iuda cum ipsis.

IDololatriæ pœna est.

Testificabitur.] Id est, Israël superbiæ & contumaciȩ qua Deo contempto Idola colit palam arguetur, & conuincetur cùm in ipsis pœnis hæserit. Verbo autem *testificandi* ad consuetudinem Iudȩorum respicit, cuius primo versu mentio facta est. Et per testimonium pœna intelligitur, quæ testibus idoneis conuictos sequi solet, vel superbia est etiam pro pœna superbiæ Metonymicω̃s, cuiusmodi phrasis etiam alibi est: vt Ieremiæ 14.v.7. Iniquitates nostræ testifican-

ficantur contra nos: id eſt, pœnæ ipſæ in quibus hæremus teſtantur nos peccaſſe.

Græci, Chaldæi & alij quidam vertunt: *Humiliabitur ſuperbia Iſraëlis*: quod tamen eodem redit.

In faciem.] Id eſt, palam, aperté.

Et Iſraël.] Repetitio eiuſdem ſententiæ.

Corruent.] Id eſt, pœnas luent.

Corruet etiam Iuda.] Obiter orationem ad Iudæos conuertit, quos hîc verbis admonere & à ſcelere Iſraëlitarum deterrere velle videtur: nam cap. 1. v. 7. Iudæos conſolatus eſt Propheta: & cap. 4. v. 15. admonuit ne exemplum Iſraëlitarum ſequeretur. Vel igitur admonitio eſt vt ſit ſenſus: *Corruet etiam Iuda*, ſcilicet ſi exempla Iſraëlitarum ſequutus fuerit. Vel etiam ſimplex comminatio eſt ad impiam multitudinem Iudæorum ſpectans, qui iam Iſraëlitarum exemplo ad Idola defecerunt. Ac tum in voce *Iuda* Synecdoche eſt, totius pro parte.

VERSVS VI.

Cum ouibus ſuis & bobus ſuis ibunt ad quærendum Iehouam: & non inuenient (eum) *ſubduxit enim ſe ab ipſis.*

POenæ amplificatio eſt, quòd Deus perpetuò ipſis iratus futurus ſit, niſi idololatriam miſſam faciant, & ſeriò reſipiſcant. Quaſi dicat, nullis hecatombis irã Dei placabunt, & peccatum ſuum expiabunt, niſi idolis valedixerint, & Deum ſincerè rurſum colere incipiant.

Cum ouibus ſuis.] His verbis ſimul etiã deridet opinionem ſtulti populi, quod Deum externis tantùm ſacrificijs placari poſſe putarent: Etiamſi inquit integros greges, & boues ſuos omnes Deo immolent, tamen fruſtrà erit.

Ad quærendum.] Id eſt, placandum Iehouam.

Non inuenient.] Id eſt, non impetrabunt gratiam.

VER-

VERSVS VII.

In Iehouam perfidi fuerũt, quia liberos alienos genuerunt, nunc(ergo)*deuorabit*(eos) *menſis cum portionibus ipſorum.*

PEccatum & pœna ſimul eſt: peccatum autem ſeu idololatria ſimilitudine adulterij rurſum figuratur: id enim ſignificat perfidos eſſe, & liberos alienos gignere. *Filios* autem vocat *alienos*, quos ſuprà filios fornicationum appellauit: pœna eſt, cùm dicit: *Nunc deuorabit eos menſis*, &c. Quibus verbis pœnę certitudo & celeritas ſignificari videtur. *Menſis* enim pro certo & exiguo tempore ponitur. Et in eo alluſio eſſe videtur ad menſtruos contractus in eo populo vſitatos. Apud eos enim menſtrui ferè contractus erant, vt in ſingulos menſes inter ſe paciſcerentur, & exacto menſe ſolutio fieret.

In voce igitur *Menſis* metonymia eſt, vt menſis ſit pro ſolutione & quaſi pœna, quæ exacto menſe exerceretur. Et in voce *deuorandi* Metaphora eſt. Deuorare enim perdere ſignificat.

Alij verò menſem accipiunt Synecdochiκῶς, pro neomenijs ſeu nouilunijs, & hæc rurſum Metonymiκῶς pro idololatria & ſuperſtitione quæ hoc tempore exerceri ſolebat. Erat enim primus dies menſis cuiuſq; feſtus, quo ſacrificia fieri conſueuerunt. Menſis igitur: id eſt, ſuperſtitio & idololatria eos deuorabit & perdet. Portiones autem vocat diuitias, opes, & facultates omnes. Græci pro menſe ἡ ἐρυσίβη: id eſt, *rubiginem* vertunt, quod prorſus hoc loco alienum eſt.

VERSVS VIII.

Clange tuba in Gibia (canite) *buccina in Rama, clamate*(in) *Betauen, poſt te ô Biniamin.*

POena per hypotypoſin exprimitur: per clãgorem enim tubarum & clamorem, hoſtium aduentus, bellum, & concurſus ad arma ſignificatur: vt & infrà cap. 8. v. 1.

Compellat autem Propheta per Apostrophen primum Bethauen, vt alterum idololatrię caput: Deinde vrbes ei vicinas Gibię & Rama, per quas etiam alias omnes regni vrbes munitas intelliget, quas hostes vastaturi essent. *Post te ô Biniamin.*] Sensus est, vel, periculum illud etiam ad Biniamin vt tribum regno Israël vicinam pertinere: vel, Bethauen vrbem sitam esse post Biniamin: vt sit mutatio personæ pro clamate in Bethauen quæ post Biniamin sita est. Græci hoc loco longiùs recedunt, qui sic vertunt: *Clangite tuba super colles, sonate super excelsis, prædicate in domo On, mente captus est Biniamin.*

VERSVS IX.

Ephraim in desolationem erit in die correctionis, in tribubus Israël docebo veritatem.

EAdem pœna nunc simplici oratione proponitur, nempe hostium aduentus, vrbium direptio & regni vastitas. Sensus est enim regnum Israëliticum prorsus ab hostibus deuastabitur cùm cœpero pœnas ab eo expetere, cum tribus Israël cœpero docere verum: id est, ostendere prædicationes prophetarum de regni excidio veras fuisse.

Erit in desolationem.] Id est, vasta erit, seu vastabitur: vide Enallagen substantiui pro adiectiuo.

Ostendam ueritatem.] Ad verbum est, notam feci veram seu verum: vbi primum temporis Enallage est: præteritum enim futuro subiectum, pro futuro est. Deinde adiectiuum fœmininum pro neutro est, seu substantiuo est. Vnde & vulgata versio fidem vertit: & aliæ Latinæ veritatem. Estq; fides seu veritas pro veris prædictionibus.

VERSVS X.

Fuerunt principes Iudæ quasi transferentes terminũ: super eos igitur effundam quasi aquam indignationem meam.

Hîc

Hîc deinceps Propheta per aliquot capita versus & Israëlitis & Iudæis concionatur, & Iudæos æquè atq; Israëlitas idololatrię & aliorum peccatorum accusat, & vtrisque pœnas denunciat. Quod enim suprà cap. 17. Iudæos laudauit & cõsolatus est, id eo modo intelligendum est, quo ibi dictum est: aliàs enim etiam regnum Iuda per Babylonios destructum est 130. annis circiter post regnum Israël ab Assyrijs vastatum. Etsi enim in regno Iudæ publicè ferè religio purior quàm in regno Israël vigeret: tamen vnà etiam inde vsque in tempus Solomonis superstitio & idololatria partim publicè à regibus, partim à subditis priuatim fouebatur & exercebatur: Et inter reges quidem qui post Iosaphatum vixêre, Achas veram religionem penitùs contempsit & repudiauit, & idololatriam publicè inuexit: quam ex sequentibus regibus duo tantùm profligare conati sunt, nempe Ezechias, & Iosias. Semper igitur etiam regnum Iuda aliqua ex parte superstitione & idololatria pollutum fuit. Adeò enim tenax est impietas, postquam semel in regna admissa est, nec priùs in hoc regno desijt, quàm populus Dei funditùs euerteretur, & in captiuitatem Babylonicam abduceretur. Ideoq; & suprà v. 5. Iudęos vnà cum Israëlitis perituros esse, quasi obiter affirmauit Propheta, & nunc ex professo scelera Iudæorum taxat, & regni Iudaici vastationem prædicit. Quare hic versus & similes reliqui non pugnant cum v. 7. cap. 1. aut cum v. 12. cap. 11. & similibus.

In hoc autem versu principes & proceres regni Iudaici præcipuè compellat, quod eorum in primis consilio, autoritate & negligentia religio corrumperetur & populus delinqueret, vt & sup. v. 12. dictum est.

Per *principes* autem etiam populum & totum regni corpus intelligit. Primùm autem peccatum: deinde pœna proponitur & similitudine exaggeratur. Peccatum autem similitudine imperfecta notatur. Principes, inquit, Iuda similes sunt ijs qui terminos agrorum transferunt & limites perturbant,

turbant. Hi enim formam religionis diuinitùs præscrpitam pro sua libidine mutant. Alij enim vt proximè diximus, etsi cultum lege Mosi præscriptum retinerent: tamen idololatriam suis permittebant, vt Ioas & alij. Alij autem & religionem veram retinuerunt, & simul etiam idola coluerunt, vt Ioram, Achasias, Athalia, *&c.* Alij autem veram religionem prorsus contempserunt, & abolere conati sunt, vt Achas & Manasses. Hi igitur terminos & limites religionis partim transtulerunt ipsi, partim transferri permiserunt.

Vt autem terminorum reuulsores grauissimè in Deum & proximum peccant, ita principes qui religionem mutãt, corrumpunt aut deprauant, atrociter in Deum & subditos peccant: vnde in lege quæ Deut. 27. v. 17 extat, dicitur: Maledictus qui transfert terminos proximi sui, & dicat vniuersus populus Amen.

Estque hìc notãdum doctrinam diuinitùs traditam conferri cum terminis & limitibus, quos reuellere aut transferre summum scelus sit, vt intelligamus nihil in doctrina cœlesti sine summo peccato mutari, aut deprauari à nobis posse.

Vel etiam per terminum seu limitem regni vtriusque distinctio, quæ in religionis & cultus diuersitate præcipuè sita esset. Per terminorum autem translationem regni vtriusque confusio intelligi potest. Communis autem impietas discrimen ferè tollebat, vt vnum iam regnum ex duobus factum impietatis similitudine videretur: vt terminis agrorum turbatis ex multis vnus fieri videtur. Atq; hactenus peccatum fuit, sequitur pœna, nempe regni excidium, quod in primis in principes redundaret, quæ pœna & ipsa similitudine exaggeratur, *super eos effundam quasi aquam indignationem meam.* Affirmat igitur Propheta indignationem diuinam: id est, vindictam atque pœnam similem futuram diluuio omnia obruenti, aut tempestati omnia prosternenti, vt videlicet pœna peccato par sit, vt alij sublatis religionis terminis magnam fecerant regni vtriusq; confusio-

confusionem: Ita Deus vicissim nouam & ingentem confusionem rerum omnium facturus est. In voce Hebraica עֶבְרָה Emphasis est. Est enim quæ passim grassatur, & obuia quæque tempestatis instar vastat, quæq; nullis repagulis coherceri possit.

Quidam כ literam in priore hemistichio, pro particula affirmandi accipiunt, sed magis hoc loco similitudinis est.

Vetus hoc loco vertit: *assumentes terminum*, minus commodé.

Græci autem pro indignationem τὸ ὅρμημα: id est, *impetum* verterunt: itidem minus proprié.

VERSVS XI.

Opprimetur Ephraim, conteretur iudicio: quoniam acquieuit, &, ambulauit post præceptum.

A Iudæis ad Israëlitas, vel etiam à principibus Iudæ ad populum regni vtriusque oratio conuertitur, idq; per occupationem. Cùm enim proximo versu principes Iudæ reprehenderit, vt penes quos maxima pars culpæ resideret, religionis deprauatæ, poterat populus hoc colore sese excusare, quòd regum suorum consilio & calliditate in errorem inductus, & autoritate ad peccandum compulsus esset, ac proinde aut nullam aut minorem culpam suam esse, seq; aut immunem à pœnis esse debere, aut si puniatur, iniustè puniri.

Ad hanc igitur tacitam obiectionem populi respondere hoc versu Propheta videtur, & vanam eius excusationem refellere. Affirmat igitur nullo modo populum extra culpã esse qui regum impiorum autoritatem sequuti aut metu fracti in Deum peccârint. Deo enim magis quàm hominibus morem gerendum: vt est non solùm in sacris literis, sed etiam apud prophanos scriptores, Deiq; mandatum omnibus omnium tyrannorum edictis longè anteferendum, ac vitam potius quàm Dei mandatum prodendam. Id igitur

cùm populus Iudaicus & Iſraëliticus non fecerint, ſed impiorum principum impia edicta promptè & alacriter amplexi atq; ſequuti ſint, ſpreto & contempto Dei mandato & maximo crimine teneri, & pœnas grauiſsimas luituros affirmat Propheta.

Opprimetur Ephraim.] Id eſt, fraudi & violentiæ hoſtium expoſitus erit, & per inſidias & vim ab hoſtibus opprimetur. Alludis autem ad locum Deut. 28.v.33. Vbi in maledictionibus dicitur: Et eris tantummodo oppreſſus & contritus omnibus diebus. Quæ verba è re militari ſumpta eſſe videntur: hoſtes enim partim inſidijs & cuniculis, partim aperto marte rem gerunt. Prius enim verbum fraudis, calumniæ vim & violentiam notat, ad quæ verba etiã alludere videtur Iohannes Luc.3. Cum militibus, ait, neminẽ concutite, neq; calumniamini.

In Hebræo autem Enallage temporis eſt: ſunt enim præſentia pro futuris. Vnde vetus: *Calumniam patiens Ephraim*, quod tempus & noſtri retinuerunt.

Ephraim.] Synecdochicõs hoc loco pro vtroq; regno accipi videtur.

Iudicio.]Id eſt, pœna & calamitate. Noſtri iudicium per aduerbiũ iuſtè interpretantur & vertunt: der med ſteer hannom Retth.

Quia uoluit.] Seu acquieuit: vt 2. Reg. 6.v.3. Acquieſce & veni, vel velis & veni. Aliàs verbum Hebraicum incipere ſignificat, quam ſignificationem & Græci & vetus expreſſerunt.

Et ambulauit.]In Hebręo Aſyndeton eſt, voluit, ambulauit: ad facilitatem & promptitudinem obſequij exprimẽdam. Præceptum autem vocat mandatũ impiorum regum Iſraëliticorũ de idololatria, vt Ieroboami in primis, tum Achabi & aliorum ſimilium. Atque hîc etiam in voce Hebraica צַו monoſyllaba, celeritas rei ſignificatur, quaſi diceret vnicã ſyllabam ſatis fuiſſe regi ad populum excitandum, quę vox hîc tantùm & apud Eſaiam 28.v.10.& 13. legitur, vbi dicitur, de præceptis minutis & breuibus, quibus pueruli ſenſim &

pau-

paulatim, & quasi syllabatim instituuntur, cùm dicitur: Præceptum post præceptum, linea post lineam, parum ibi, parum ibi. Græci pro præcepto *μάταια*: id est, *uana* vertunt. Vulgata habet *sordes*.

VERSVS XII.

Et ego (ero) *tanquam tinea ipsi Ephraim: & quasi teredo domui Iuda.*

RVrsum pœna nempe regni vtriusque excidium tribus sequentibus versibus exprimitur, idq; hoc versu per comparationem fit. Vt tinea, inquit, vestes, & teredo ligna arrodit & cõsumit: ita ego regnum vtrumq; perdam. Græci hîc pro tinea & teredine *ταρα* & *κεν*: id est, *tumultum* & *stimulum*. Vetus pro posteriori *putredinem* habet.

VERSVS XIII.

Videbit autem Ephraim languorem suũ & Iuda vulnus suum, & ibit Ephraim ad Assur, & mittit ad regem Iareb: sed ipse non poterit sanare vos, & non poterit curare vulnus vestrum.

AFfirmat Propheta contra iram Dei punientis & seuiẽtis in impios nihil profutura auxilia humana, & simul impietatem populi reprehẽdit, quod in rebus aduersis ad auxilia & præsidia humana potius ferè, quàm diuina respiceret & confugeret, cùm Deus contra ideo puniat, vt homines ad se reuocet, & ad se potius quàm præsidia terrena confugere cogat: vide hunc locum fusiùs explicatum Esaiæ 31.

Videbit.] In Hebræo præteritum est pro futuro: futurum autem indicatiui pro subiunctiuo quo carent Hebræi, pro, *cùm uiderit morbum suum, & uulnus suum*: id est, sese in pœnis hærere, & q. morbo laborare, cumque ab hostibus oppressus fuerit, tum si ad reges potentes, vt ad Assyrios, vel Ægyptios de auxilijs miserit, nihil ipsi eorum auxilia sunt

profutura. De voce ירב non consentiunt interpretes, plerique proprium regis nomen esse volunt. Alij contra vt Ionathan Chaldęus & vetus pro communi seu appellatiuè accipiunt, quorum ille qui venturus est ad vlciscendum: hîc verò regem vltorem: sed satis est sensum tenere, quod damnetur fiducia pręsidiorum humanorum vt impia & inutilis.

Nec curare.] Vetus habet: *Nec soluere poterit à uobis uinculum.*

Versus XIIII.

Quia ego (ero) *quasi Leo ipsi Ephraim, & quasi catulus Leonis domui Iuda: Ego ego rapiam & abibo, tollam* (prædam) *& nemo mihi eripere poterit.*

COmminationem & pœnam exaggerat à Dei potentia, quam viribus & præsidijs humanis opponit: potentia autem Dei similitudine exprimitur. Vt enim antè Deus se cum tineis & vermiculis qui occultè & sensim vestes & ligna consumunt: ita nunc cum Leone formidabili, qui magna vi, & impetu & robore inuicto grassatur confert: vt, inquit, Leoni famelico grassanti, ita Deo irato & seuienti nemo resistere poterit. Vtq; Leoni famelico prædam quam nactus est, nemo facilè eripere potest. Ita Iudęos & Israëlitas aliosq; impios è manu Dei cùm vindictam exercere ceperit, eripere potest.

Ero quasi Leo.] Græci *pantheram* vertunt, quos Latini quidam sequuntur, cum Psalmo 91. v. 13. *aspidem* vertant.

Vulgata *Leenam* vertit: vide infrà cap. 13. v. 7. & 8.

Ego ego.] Repetitio Emphasin habet & exaggerationem, quam Græci neglexerunt, qui vertunt tantùm *ego.*

Rapiam.] Continuatur similitudo: rapere enim ad Leonem propriè refertur: ad Deum autem per similitudinem.

Atq; hactenus caput quintum fuit: versus enim sequens ad sequentia magis spectat quàm ad præcedentia. Quare hîc caput claudamus.

CAPVT

CAPVT SEXTVM.

VERSVS PRIMVS.

ABibo & reuertar ad locum meum donec agnoscant se reos, & quærant faciem meam: in angustia sua diluculo quærent me.



ACTENVS ab initio Capitis quarti concionis quartæ pars prior fuit: sequitur nunc pars altera vsque ad versum quintum huius capitis, quę est concio gratiæ & consolatio. Hîc autem dulcissimus versus finem ostendit comminationum & pœnarum, quæ à Deo infliguntur, hunc esse, vt nos peccatum tandem nostrum agnoscamus, & ad Dei punientis misericordiam confugiamus, & ab eo veniam delictorum, pœnarumq; mitigationem petamus: id est, vt nos ad veram pœnitentiam agendam Deus hoc modo cogat atq; compellat. Vt enim concione gratiæ & misericordiæ atq; rebus secundis nos ad sese inuitare & allicere: ita concione iræ & iustitiæ, & rebus aduersis nos ad resipiscendum cogere conatur Deus. Atq; ita vtroq; modo salutem nostram operatur. Neque enim Deus punit vt perdat, sed vt seruet. Iehoua enim occidit vt in vitam reuocet, & vulnerat vt sanet: vt dicitur Deut. 28. & 1. Regum 2. v. 8. Et vt faciat opus suum, opus alienum. Esaiæ 28. v. 27. & 1. Corinth. 11. v. 32. Cùm punimur à Domino, erudimur, nec cum mundo condemnemur. Calamitas enim & ærumnæ homines ad examen serium adducere solent, vt caussas suorum malorum quasi morborum quærant, quas cùm in se hærere conspexerint, necessariò si salui esse velint ad Dei opem & auxiliũ ipsis confugiendum est.

Hic autem versus cum proximo cohæret repetitione vocis אלך seu abibo. Vt inquit: Leo prędã nactus abit è medio, & ad spolium suum se recipit: ita ego me in habitationem cœlestem abdam, & me è conspectu eorum subtraham: id

est, deseram eos ne meam præsentia aut opem sentiant aut agnoscant, permittamq; vt hostes pro sua libidine in eos aliquandiu seuiant & grassentur.

Donec fatentur se reos.] Verbum Hebraicum אשׁם primùm significat delicti agnitionem, aut de delicto opinionẽ propriam aut alienam, quo pacto Zacharię 11. v. 5. accipitur, vbi dicitur: Qui possident ipsum occidunt, & non peccant: id est, non iudicant se peccare, nec agnoscunt delictum. Atq; hæc significatio huic loco magis congruere videtur. Tertiò significat desolari & perire, quod delicti effectus est. Quo sensu Græci hîc accipiunt, qui reddunt *delebuntur*: quod Vetus & Pagninus sequentes reddunt, *donec deficiant*. Sed Vetus personam tertiam in secundam mutauit, qui vertit, *donec deficiatis & quæratis*.

In faciem meam.] Id est, conabuntur mecum redire in gratiam, & optabunt me habere propitium & præsentem. Vt enim Deus iratus faciem auertere atque abscondere: ita placatus & beneuolus faciem suam conspiciendam præbere dicitur: vt Psalm. 80. Ostende nobis faciem tuam & salui erimus.

In angustia sua diluculo quærent.] In Hebræo verbum est שׁחר quod significat *mane* & *maturè*: id est seriò & studiosè aliquid quærere. Græci reddiderunt ὀρθρύσουσι πρός με. Angustia igitur & calamitas pœnitentiæ schola est.: & hîc verum est illud, παθήματα μαθήματα. Item, quæ nocent docent.

VERSVS II.

(Et dicent) *venite & reuertamur ad Iehouam: quoniam ipse rapuit & sanabit nos: percußit & obligabit vulnus nostrum.*

EAndem sententiam tribus versibus repetit & amplificat dialogismo, quo populum sese mutuo ad pœnitẽtiam agendam & veniam à Deo petendam cohortantem, & de gratia & misericordia Dei sese mutuo confirmantem introducit.

Venite.]

Venite.] Imperatiuus vim habet aduerbij exhortandi: agite, agite dum reuertamur, *&c.*

Reuertamur.] Hæc reuersio opponitur reuersioni Iehouæ versu 1.

Quia ipse rapuit.] Hoc verbum repetitur ex versu vltimo capitis proximi, vbi Deus se Leoni comparãs: Ego ego, inquit, rapiam & abibo. Significat autem verbum non tãtùm rapere, sed etiam raptum dentibus & vnguibus decerpere & dilacerare: vt Ezechielis 22. v. 25. Velut Leo rugiens decerpit prædam: Vetus vertit *cepit*, quod hoc loco parùm conuenit.

Et sanabit.] Hæc sententia ex cantico Moysi Deut. 32. v. 39. Et Annæ 1. Samuelis 2. v. 6. sumpta sunt.

Percußit.] Id est, quasi hostis vulnus nobis inflixit.

Obligabit uulnus.] Metaphora à Chirurgis qui vulnera fascijs obligant, idem igitur Deus iratus, Leo & hostis est: placatus autẽ medicus, chirurgus, & amicus est. Lacerare autem & percutere de calamitatibus, excidio regni, & exilio: sanare autem & obligare de misericordia Dei, peccatorum remissione, & pœnarum mitigatione dicuntur.

VERSVS III.

Viuificabit nos post biduum: de tertio suscitabit nos, & viuemus coram facie eius.

CONfirmat se mutuo populus de gratia & misericordia Dei, pœnarum mitigatione & auxilio diuino.

Viuificabit.] Id est, consolabitur: vt Psalm. 119. v. 50. Hæc est consolatio in afflictione mea, quod verbum tuum viuificet me. Vt enim mors Hebræis de magnis calamitatibus & doloribus: ita vita de rebus secundis & lætitia dicitur.

Post biduum.] Extenuatio est moræ & temporis, quo auxilium Dei differtur, quæ fit tantùm bidui, aut summum tridui: q. d. Si non statim liberamur, patienter auxilium Dei expe-

expectandum est, quod non diu differetur, *&c.* Certo tandẽ apparebit: vt Psalmo 30. v. 6. dulcissimè dicitur: Momẽtum est in furore, vita in voluntate eius, vesperi ad nos diuertit fletus, sed manè lætitia reuertitur.

Die tertio suscitabit nos.] Scilicet ęrumnis & calamitatibus mortuos.

Et uiuemus in consp.] Id est, felices & læti in posterum erimus Deo nobis placato & propitio. Nostri ad resurrectionem Christi hæc accommodant. De corpore enim loquens Propheta, interim etiam ad caput, nẽpe Christum respicere potest Propheta. Vnde & Paulus 1. Corinth. 16. cap. 4. ad hunc locum respicere videtur, cùm de Christo ait: Et suscitatus est tertio die secundum Scripturas. Nec dubium est quin Propheta hîc etiam ad resurrectionem & vitam æternam, quæ in Christo inchoata est, respiciat.

Græci pro *uiuemus* vertunt *resurgemus*, & ad hunc sensum alludentes, & ad verbum præcedens *suscitabit nos*, respicientes.

VERSVS IIII.

Et cognoscemus (eum) *studebimus cognoscere Iehouã, quasi aurora paratus* (erit) *egressus eius: & veniet quasi imber nobis, & quasi pluuia serotina & temporanea* (venit) *terræ.*

RVrsum eadem ferè sententia ad maiorem certitudinẽ & consolationem repetitur. Confirmat enim sese populus de fructu pœnitentiæ, nempe pœnarum in quibus hærebant mitigatione, deque pristino fauore & benedictione.

Et cognoscemus.] Hæc verba variè explicari possunt: vel enim adhortationem continent populi mutuam, ad serium pœnitentiæ studium: vt sit sensus: *Cognoscamus & persequamur cognoscere, & in hoc pariter incumbamus, ut cognoscamus*: id est, agnitum colamus, Iehouam: vel est sensus: *Si conabimur*

Deum cognoſcere, eumq́; seriò colere, reuera experiemur eum propitium & beneuolum, & plurima ab eo beneficia percipiemus. Atque hunc ſenſum ſequentia flagitare videntur. Poſsit & vtrumque futurum conditionaliter accipi: vt ſi cognouerimus & cognoſcere ſtuduerimus Iehouam, tum quaſi aurora paratus erit egreſſus eius, quo ſenſu moleſtiſsimè verba cohærerent.

Quaſi aurora.] Amplificatio fauoris Dei & beneuolentiæ diuinæ à duabus ſimilitudinibus: vna ab aurora quæ poſt noctem & tenebras ſequens, quaſi vitam & lætitiam hominibus reſtituit. Altera à pluuia quæ terram fœcundat, & ſeminibus quaſi mortuis vitam impertiat. Per *auroram* igitur lætitia poſt dolorem: per *pluuiam* bonorum omnium copia poſt inopiam ſignificatur.

In Hebræo tria ſunt vocabula pluuiæ, quorum primum quaſi genus eſt, duo poſteriora quaſi ſpecies ſunt. Sic & Deut. primum genus ponitur, deinde hæ eędem ſpecies, ſed alio ordine, nempe & vbi Septuaginta & qui eos ſequitur Iacobus ca.5.v.7. vertunt Græcè ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον: id eſt, pluuia matutina & ſerotina.

Græci per egreſſus eius reddunt, *inueniemus eum.*

Item, *pluuiam temporaneam & ſerotinam.*

Hîc etiam legerunt ad locum Deut. reſpicientes, quod & Vetus ſequutus eſt.

Chaldæus paraphraſtes pro יוֹרֶה videtur legiſſe רַוֵּה: id eſt, quæ fœcundet ſeu irriget terram, quod & noſtri ſequuti ſunt.

VERSVS V.

Quid faciam tibi Ephraim, quid faciam tibi Iuda? cū bonitas veſtra ſit velut nubes matutina, & velut ros manè euaneſcens.

HActenus cõcio quarta fuit, ſequitur nunc quinta, quæ ab hoc loco ad finē capitis vndecimi durat: prior autē pars eius ad finē verſus ſeptimi eiuſdē capitis durat.

Hic autem versus querelam Dei continet, quòd Israël & Iuda, nec plagis emendari queant, nec vllis alijs remedijs sanari, quodq́; præ se ferát studium pietatis, sed quod simulatum tantùm sit & momentaneum.

Quid faciam tibi.] Scilicet amplius quàm feci hactenus, vt te in viam reuocem & sanem, admoneam ne an castigem? Atqui vtrumq; à me factum est, idq́; frustra. Vide 1. cap. Esaiæ: Estq́; proinde quasi parentis in perditos filios affectus hic expressus, & oratio interrogatione & communicatione vt magis sit efficax.

Quia bonitas uestra.] Hypocriticæ pœnitentiæ descriptio. *Bonitas* autem hoc loco pro charitate & beneficentia accipitur, vt omnia charitatis & beneuolentiæ officia erga proximum contineat. Simulq́; Synecdochικῶs pietatem & obedientiam erga Deum complectitur: vt v. 6. apparet. Hæc igitur, inquit, bonitas similis est nubi matutinæ, quę scilicet pluuiam minatur, sed mox orto Sole in ventos dissipatur, & expectationem hominum fallit, & similis est rori, qui manè statim orto sole euanescit: id est, non constans est, aut solidum pietatis & probitatis studium. Sed hypocrisis tantùm fuga & euanida.

Velut nubes.] Iudas Apostolus v. 12. νεφέλαι ἄνυδροι .i. nubes aqua carentes vocat.

VERSVS VI.

Propterea dolaui eos per Prophetas, (&) occidi eos verbis oris mei: vt iudicia tua (essent quasi) *lux exoriens.*

STudium suum in sanando populo & conuertendo prędicat Deus, quod videlicet ministerio Prophetarum ad hoc sedulò vtatur, vt admoniti resipiscant.

Propterea.] Prior pars versus duplicem sensum recipit, qui tamen vterque eodem recidit, prior hic est, magna vi Prophetas ad officium propheticum extruxi, & penè ipsa do-

cendi

cendi & admonendi vos molestia occidi. Posterior excidi & dedolaui populum per Prophetas meos, & penè enecaui verbis oris mei, dum videlicet Prophetæ quasi meis verbis peccata eorum reprehenderent, pœnásque prędicerent & comminarentur.

Excidi.] Verbum Hebraicum significat secare aut exscindere, vt ligna secantur, dedolantur, aut expoliuntur, aut vt lapides ex montibus exscinduntur, aut excisi expoliuntur.

Vt iudicia.] Id est, vt pœnitentia tua esset non hypocritica aut simulata, sed sincera, clara, & perspicua quasi lux Solis exorientis, simúlque & fructum pœnitentiæ, nempè fauorē meum, & benedictiones omnis generis reportares. Vtrunque enim lux significare hîc videtur. In voce autem *lucis* respicit ad id quod antè dixit: quasi aurora paratus ortus eius.

VERSVS VII.

Quia bonitatem volo non sacrificium & scientiam Dei magis quàm holocausta.

OStendit quid pręcipuè docuerint Prophetę, & in quo præcipuè vera pœnitentia sita sit, nempe in vera Dei cognitione, & timore, & sinceræ charitatis erga proximum officijs, simulque peruersum populi de cultu Dei iudicium reprehēdit, qui magis in sacrificiorū & ceremoniarum pompa, cultum Dei situm esse putarunt. Vt autem hæc opinio semper in animis hominum multorum hæsit: Ita cōtrà hæc admonitio semper & sedulò à Prophetis inculcata est, vnde & 1. Samuel. cap. 15. v. 22. ijsdem penè verbis proposita est. Nūquid voluntas Iehouę est in holocaustis & victimis vt in obtemperando voci Iehouæ. Ecce melior est obedientia quàm victimæ, & auscultare magis quàm offerre adipem arietum. Eademq; sentētia subinde & in Psalmis & Prophetis repetita est: vt Esaiæ 1. Ieremiæ 6. & passim alibi: & Christus bis in Matthæo hanc repetit, Matth. 9. v. 13. & 12. v. 7.

Nec in Ecclesia tantùm hæc peruersa opinio, sed etiam extra Ecclesiam omnibus temporibus in genere humano viguit, etiam apud Ethnicos, vnde & à sanioribus philosophis præsertim Platone grauiter est reprehensa, qui Plato in Alciabiade 2. sic inter cætera scribit.

Deorum natura non est eiusmodi vt donis concilientur, veluti improbus fœnerator: graue etenim indignumq; esset, si Dij ad nostra dona atque sacrificia respicerẽt, non verò ad animum si quis pius & iustus nimirum sit, multo potius opinor, ad animum respiciunt, quàm ad opiparas has pompas atque hostias, quas nihil prohibet, quo minus vel homo priuatus, vel Respub. si quibus sceleribus se obstrinxerint, illata innocẽtibus iniuria quotannis exsoluant (scilicet ad scelera expianda) Verùm enimuero Dij munerum sordibus minimè capiuntur. Sed hæc omnia securè cõtemnunt. Videtur igitur vt apud Deos & apud homines sana mente præditos iustitia & sapientia cęteris omnibus rebus in precio esse. Hæc Plato.

Sacrificia igitur veteris Testamenti, etsi partim typica erant & commonefactiones de doctrina, & nerui publicæ congregationis, & τριπλήρια seu pars stipendij docentium, suoq; proinde ordine facienda erant: tamen non placebant Deo sine fide, & sine obediẽtia morali, & nisi ex præscripto legis diuinæ omnino fierent.

Quoniam bonitatem.] bonitas חֶסֶד hîc pro charitate, humanitate, & beneuolentia accipitur, & omnia charitatis & humanitatis erga alios præsertim miseros & inopes quæ secunda Decalogi tabula præcipiuntur complectitur. Repetitur autem hæc vox ex v. 4. Septuaginta & Vetus specialiter *misericordiam* vertunt.

Et non sacrificium.] Negatio hoc loco non negat simpliciter, sed vim comparationis habet aut correctionis. Negatio enim non semper priuat aut remouet, sed interdum comparat vel corrigit tantum, quomodo hîc accipiendam esse etiã sequens membrum ostẽdit. Sensus est igitur: *Malo bonitatem*

quàm sacrificium. Sed de hac phrasi plura in tractatu de phrasibus suo loco dicemus.

Sacrificium.] Nomine sacrificij & holocausti, omnis externus cultus & ceremoniæ omnes significantur.

Et scientiam Dei.] Scientia Dei hîc fidem & totius doctrinæ Ecclesiæ, de essentia & voluntate Dei cognitionem, & opera omnia quæ prima legis tabula prę̨cepta sunt, complectitur. Potest tamen & eiusdem sententiæ repetitio esse, vt scientia sit pro operibus ex scientia & fide vera manātibus, vt dicitur Ieremiæ 22. v. 16. Iudicauit Iudicium pauperis & egeni, & tunc benè faciet ei, nónne hoc est nosce me ait Iehoua?

VERSVS VIII.

Ipsi autem vt homines transgreßi sunt fœdus, ibi in me perfidi fuerunt.

HActenus studium suum erga populum & voluntatem quam sequi eos voluit expressit Deus. Nunc contra peruicaciam populi exponit, quod videlicet neglecto & abiecto omnis pietatis & humanitatis studio, ceremonijs tantùm & sacrificijs cumulandis Deum colere conetur: id enim vocat fœdus transgredi seu violare & in Deũ perfidum esse.

Vt homines.] Qui scilicet natura leues & inconstātes sunt. Per Antithesin enim homines hîc Deo opponũtur. Vt enim Deus bona fide cum hominibus agit & fideliter promissa præstat. Ita illi contrà perfidi sunt & fœdifragi.

Vetus Adamum vertit quasi nomen proprium: vt sit sensus, *quod primi hominis exemplo Israëlitæ in Deum peccent*, quod tamen huic loco minus conuenire videtur.

Fœdus.] Id est, legem vt Deuter. 6. v. 2. Iehoua Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb: id est, legem suam nobis tradidit Deus.

Ibi.] Id est, in terra promissa, vel in ea re in qua maximè me demereri conantur.

VERSVS IX.

Giliad est ciuitas operantium iniquitatem polluta sanguine.

Pergit in reprehendendis & accusandis peccatis populi Israëlitici, quod regnum affirmat esse ciuitatem hominum maleficorum & sceleratorum.

Giliad.] Regio erat vltra Iordanem, vbi tribus Ruben & Gad, & dimidia tribus Manasse, possessionem acceperant, sed hîc pro toto regno Israëlitico per Synecdochen accipi videtur.

Operantium iniquitatem.] Id est, hominum sceleribus & flagitijs omnis generis coopertorum. Vide Esaiæ 59. v. 6. Vulgata versio pro iniquitate dolum habet.

Polluta sanguine.] Id est, cædibus & atrocibus peccatis. *Sanguis* enim interdum in genere pro atrocibus peccatis & omnis generis sceleribus vsurpatur. Vt viri sanguinum oderunt integros, Prouerb. 29. v. 10.

Alij vertunt *calida* seu *astuta* seu *exercitata cædibus & homicidijs.* Vetus reddit *conculcata.*

Græci hîc longiùs recedunt, qui vertunt: *Cōturbans aquam.*

VERSVS X.

Et quemadmodum expectant hominem turmæ latronum, sic, societas sacerdotum (in) *via trucidant humero* (vno) *nam scelus cogitatum perpetrant.*

Amplificat scelera populi collatione, idque in specie. Ipsi, inquit, Sacerdotes populi Israëlitici nihilo sunt meliores latronibus & sicarijs qui homines in vijs iugulant & trucidant: quod si Sacerdotes tales sunt, multò deteriores cęteris sunt.

In uijs trucidant.] Hæc pars magis ad protasin pertinet: latronem enim est in vijs trucidare homines.

Humero uno.] Id est, consensu vno & conspiratione vt Sophoniæ

phoniæ 3. v. 9. Vt seruiant ei humero vno: id est, consensu. Alij plerique vocem Hebraicam pro nomine proprio vrbis accipiunt, & vertunt, *in uijs trucidant uersus Zichem.*

Scelus.] Vox Hebraica in genere significat cogitationem, sed plerunque specialiter pro cogitatione scelerata & consilio alijs pernitioso accipitur. Hîc autē de eo dicitur, quòd sacerdotes populum ad simulacrorum cultum pellicerent, quod perinde esset, ac si eos interficerent, & more latronum trucidarent.

VERSUS XI.

In domo Israël video fœditatem: ibi est scortatio ipsius Ephraim, pollutus est Israël.

ET hîc Idololatriam populi totius accusat, quam nomine *fœditatis*, *scortationis* & *pollutionis* designat, & ter ad rei indignitatem, & turpitudinem exaggerandam repetit.

Affirmat autem se eam fœditatem videre, vt ostendat eā tam esse manifestam, vt regi amplius, aut excusari nequeat. Et verbum *uidendi* etiam ad reliqua membra vim suam extendit.

Israël autem & *Ephraim* hîc pro eodem sunt, vt passim alibi. Vel *Ephraim* est pro Ieroboā, qui ex tribu Ephraim fuit, & primus idololatriam publicè in regno Israëlitico, vt sępè iam dictum est, instituit. Conuenit autem hic versus, cum versu tertio, Capitis quinti.

VERSUS XII.

Etiam ô Iuda ponit, Israël, *messem tibi: dum reducere conor captiuitatem populi mei.*

QVerela est quod Iudæi exemplo Israëlitarum ad peccandum, & præsertim idola colenda inuitarentur, & seduci se paterētur. Simulq; comminatio est, quòd Iudęi tandem vnà cum Israëlitis simili pœna captiuitatis & exilij

exilij afficiendi essent, qualis admonitio etiam suprà fuit cap.5.v.5.10.12.14.

Interpretes in hoc versu exponendo propter sermonis obscuritatem admodum variant, sed hic sensus quem expressimus simplicissimus, & Grammaticæ verborũ & menti Prophetæ conuenientissimus esse videtur.

Ponit.] Scilicet populus Israël: suppositum enim deesse videtur, quod ex proximo versu repetendum est.

Ponit messem.] Id est, peccati segetem, materiam, exemplũ & fructum: id est, inuitat te ad idem idololatriæ peccatum, quod ipsi sequuntur, quod cum etiam imiteris, eandem cũ ipsis mercedem & fructum metes: id est, eadem cum ipsis pœna suo tempore punieris.

Alij paulò aliter, sed eodem ferè sensu interpretãtur hoc modo: *Etiam Iuda ponit Messem tibi ô Israël*: id est, quod tu seris, ille metit: id est, exemplum idololatriæ à te institutæ imitatur, & eandem tandem pœnam quam tu sentiet.

Dum reducere conor.] In Hebræo est, *dum reduco captiuitatem populi mei*, sed *reduco* seu *conuerto* hoc loco simpliciter esse videtur, pro reducere seu conuertere volo, studeo, conor, vt interpretati sumus: & sic proximo ca.v.1. verbum sano, pro sanare conor accipitur. de quo Hebraismo suo loco dicemus: *Conari* igitur *captiuitatem conuertere*, seu *reducere* nihil aliud est, quàm populum ad pœnitentiam vocare, & ab idololatria ad verum Deum colendum reuocare, ne tandem propter hoc peccatum in captiuitatem abducatur, & vt breuiter dicam, Est captiuitatem imminentem auertere.

In vocibus שְׁבִי & שְׁבוּת pulchra] in Hebræo est paronomasia.

Populi mei.] Id est, Israëlis. Est enim antecedens pro relatiuo ipsius.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

VERSVS PRIMVS.

D*Vm ſanare conor Iſraëlem, reuelatur iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ: quoniam faciunt mendacium & domi furantur, & foràs vt latrones ſpoliant.*



VERELA eſt quòd populi malitia incurabilis & deſperata ſit. Comparat enim Deus & ſe & Prophetas Medicis, & doctrinam Eccleſiæ medicinę: Peccata autem populi morbis corporum inueteratis & pertinacibus, qui remedijs magis exacerbantur quàm mitigantur.

Dum ſanare conor.] In Hebræo eſt, *dum ſano*: vide verſum vltimum capitis præcedentis in verbis: *Dum reduco captiuitatem.*

Reuelatur iniquitas.] Id eſt, magis magiſque ſeſe profert, & cuiuſmodi ſit oſtendit, dum indies maior fit. Medicus enim dum morbum tractat, magis magiſque ingenium morbi cognoſcit.

Iniquitas Ephraim.] Iſraël, Ephraim, & Samaria hîc pro eodē ſunt. Ephraim igitur & Samaria ſunt quaſi antecedentia pro relatiuo poſita, pro dum ſanare conor Iſraëlem, interim magis pateſit & innoteſcit iniquitas eius & malitia eius.

Quia faciunt mendacium.] Mendacium vel integritati vel ſinceritati opponitur. Senſus eſt: *Nullam eſſe in populo integritatem, ſed omnes eò magis fraudibus & impoſturis ſtudere, quò magis admoneantur ut deſiſtant,* vel opponitur æquitati & iuſtitiæ, & iniuſtitiam atq; iniurias omnis generis ſignificat.

Domi furantur.] Quod generaliter dixit, ſpecialiter iam explicat, & duas iniuriæ ſpecies exprimit, fraudem & violentiam.

Domi, inquit, *furantur*: id eſt, occultis artibus aliena bona

ad se pertrahunt furum instar, qui noctu domos subeunt, & hi furta sua tegunt & palliant, vel pœnæ metu, vel existimationis tuendæ caussa.

Foris autem spoliant.] Id est, aperta vi aliena capiūt, aliosque instar latronum & prædonum opprimunt, palamque sine omni pudore in alios sæuiunt, idque vel cyclopica audacia efferati, vel spe impunitatis quam pręcipuè potentia & autoritas ipsis polliceri videntur adducti. Atque hanc interpretationem Chaldæus & doctiores inter Hebræos sequūtur. Alij tamen de pœna accipiunt & interpretantur: *Ideo fur ingredictur domum*, &c. id est, hostes qui regnum vastabunt & vrbes deripient, erunt ipsis instar furum & latronum.

VERSVS II.

Et non cogitant cum animis suis me omnis malitiæ ipsorum memorem futurum: seq; paulò post suis operibus circumdatum iri, quæ corā facie mea sunt.

AMplificat querelam à populi securitate, simulq; caussam exprimit præcipuam scelerum & impœnitentiæ, nempe de Dei iudicio dubitationem & spem impunitatis.

Operibus suis.] Id est, mercede operum seu pœnis peccatorum: opus enim sæpè pro mercede operis accipitur, vt Esaiæ 40. v. 10. Ecce merces eius cum eo, & opus eius corā ipso. Et Ieremiæ 22. v. 13. proximo suo operatur gratis, & opus eius non dat ei.

VERSVS III.

Malitia sua exhilarant regem & mendaciȷs principes.

RVrsum in Idololatriam populi & principum inuehitur: hęc autē reprehensio ad versum 7. durare videtur. Accusat autem reges & principes vt Autores & defensores idololatriæ. Vulgus autem accusat quòd in gratiam regum idola coleret.

Malitia sua.] Malitiam & mendacia specialiter hîc appellat idololatriam.

Exhilarant.] Scilicet dum ipsis regibus gratificari student, & falsam doctrinam & cultus idololatricos amplectuntur, & sectantur. Vide suprà cap. 5. v. 1. & 11.

VERSVS IIII.

Omnes adulteri sunt tàm ardentes quàm ardet furnus accensus à pistore, cùm cessat excitare & subigere massam, donec fermentetur.

INsanum Idololatriæ studium in populo depingit similitudine: Quàm ardet, inquit, furnus pistoris ad panes coquendos accensus, tam ardent Israëlitæ insano Idola colendi studio.

Cùm cessat.] Subacta enim massa furnus accendi solet interim dum massa fermentatur.

Excitare.] Scilicet farinam: id est, tractare. Alij ad ignem referunt: Alij ad mulieres. Quibus enim, inquiũt, in locis furni publici sunt, ibi furnarij noctu vicatim mulieres excitare solent, donec massam fermentatam & in panes conformatã adferant, vt in furno iam satis calido coquantur.

VERSVS V.

Die regis nostri ægrotant principes calore vini, & probabit (rex) *manum suam cum illusoribus.*

RVrsum alia similitudine ardorem & feruorem idololatricum exprimere videtur. Quantum, inquit, diebus solennibus & festis in aula studium potandi est, & qualis est ebriorum ardor, furor & insania, Talis & tantus est omnium in Idolis colendis ardor, in primis procerum.

Simul igitur & idololatriam & potationes aulicas perstringit & reprehendit Propheta. Conqueritur enim reges & proceres Israëliticos ad morbum & insaniam vsque potare. Vide suprà cap. 4. v. 11. potest tamen etiam querela esse

in his tribus versibus, de consiliarijs regum Israëliticorum, quòd illi, cùm reges sui officij admonere deberẽt, & de idololatria aboléda commonefacere, ipsi interim regibus adularentur, & cum ipsis diebus festis, quibus pręcipuè de religione cogitandum esset, securi luderent, & ad morbum & insaniam perpotarent. Vide Esaiæ 5.v.11.& 22.

Die regis.] Quidam Mimesin esse volunt, vt sit sensus: *Iam dies regis nostri est, simus hilares.* Alij orationem simplicem esse volunt, vt sit sensus: *Die regis nostri ægrotant principes*: diem autem regis appellat, vel diem natalem, vel diem coronationis & inaugurationis. Vel dies solennes à Ieroboām & regibus Israëliticis institutos ad idola in Bethel & Dan colenda: quos dies non Dei, sed regis per cõtemptum fortasse vocat.

Aegrotant.] vel *ægrotare faciũt*, scilicet regem vino obrutum. Est enim verbum Hiphil. Sed vt vt vertas, sensus est: *Et ipsos proceres & regem parùm de uero Dei cultu solicitos, diebus festis ad insaniam & morbum potare solitos.*

Calore uini.] Ebrietas enim pręsertim ex vino calorem excitat & corpus inflammat, Vide Esaiæ 5.

Alij *utre* seu *utribus* vertunt, vt sit per Metonymiam, vter pro vino. Etsi idipsum etiam expressum est. In vtribus enim quibusdam in locis asseruari & transferri solet. Vide Matt. 9. vers. 17.

Protrahit manu.] Id est, Ebrius ludit cum scurris & Morionibus: vel scurrarum & Morionum socius fit: vel proceres ipsos ebrios, scurras & Moriones Propheta appellat, quibus Rex manum porrigit, quasi signum societatis, vel cum quibus ludit & nugatur.

VERSVS VI.

Certè applicant quasi furnum (ardentem) *Cor suum insidijs suis: tota nocte dormit pistor eorum, manè ipse ardet igne flammæ.*

Repe-

REpetit sententiam & similitudinem versus quarti. Vt inquit furnus manè à pistore postquam noctu quieuit accẽsus ardet: Ita animus & cor populi, studio idololatriæ inflammatus ardet.

Insidijs suis.] Quod antè versu tertio malitiam & mẽdacia, & proximo elusionem, hîc insidias vocat, nempè falsum Dei cultum, quem reges honesto nomine pingerent, & palliarent, & populo obtruderent, quo & Deo ipsi imponere conabantur, & hominibus exitium attrahebant. Vnde rursum v. 12. cap. 11. mendacium & dolus appellatur.

Tota nocte.] Respicit ad consuetudinem communem: pistor enim subacta farina dormit, donec appetente diluculo, & massa fermentata furnum accendat.

Pistor eorum.] Relatiuum est pro Antecedente expresso vel subintellecto, nempè *insidiarum*, seu *consiliorum malorum*. Vel *eorum* pro *eius* est, scilicet furni.

Manè ille.] scilicet furnus.

Igne flammæ.] Id est, flamma ignis, seu luculento igne: vide phrases substantiuorum. כ autem similitudinis quod in Hebræo additur, hîc redundat, de qua in aduerbiis dicemus.

VERSVS VII.

Omnes illi flagrabunt quasi furnus: & comedent Iudices suos: omnes Reges ipsorum corruent, quia, *nemo inter eos me inuocat.*

HActenus quatuor versibus mutuum principum & populi studium ardentissimum expressit, principũ quidem eam instituentium & defendentium: populi autem, cupidè auscultãtis & sequentis: Nunc pœnam eius insani studij peccato similem addit.

Omnes illi.] Id est, & principes & populus, quos vtrosque versu 4. accusauit: quos autem culpa coniungit, eosdem vt pœna coniungat par est.

Flagrabunt.] Scilicet pœnarum incendio cõsumpti. Eadem

enim similitudine, primùm figuratè pœnam exprimit, qua culpam expreßit: id enim Prophetis est vsitatum.

Iudices suos.] Id est, ipsi mutuis cædibus, & lanienis sese conficient, id quod & accidit: Nam filium Ieroboami Sachariam, sustulit Rex Sallum, huius filium Pechaija trucidauit Pecha, & hunc rursum Hosee vltimus: vide 2. Reg. 16.

Corruent reges ipsorum.] Scilicet in acie ab hostibus victi: per *reges* autem & populus significatur.

Quia nemo est.] breuiter peccatum falsi cultus repetit. In Hebræo hyperbaton est, quod Vetus expreßit: *Non est, qui clamet in eis ad me.*

VERSVS VIII.

Ephraim ipse cum (cæteris) *populis sese commiscet: Ephraim est placenta non versa.*

PEccatum & pœna regni totius est, alia similitudine expressa, nempè placentæ, quæ farina & oleo mixtis cōficitur, & à famelicis citò deuoratur, priusquam satis percoquatur.

Ephraim ipse.] Peccatum est, quòd sese profanis Gentibus misceant Israëlitæ, vt farina & oleum, in placenta conficiēda misceri solent: idq; primùm fœderibus & cōiugijs, præsertim principum, inde & religionis & morum similitudine; horum enim mixtio & confusio ex mixtione & societate fœderum & coniugiorum ferè existere solet. vt apparet Exod. 24. v. 12. Et Deut. 7. v. 22. Ezechiel. 23. & suprà capite 5. v. 7.

Hæc enim ferè omnis mutationis & corruptelæ religionis olim fuit, & semper esse solet. Relatiuum autem cum Antecedente hîc ad Emphasin exprimitur. Verbum autem Hebraicum יִתְבּוֹלָל de placenta oleo mixta dicitur Exod. 29. v. 2. & alibi.

Videtur autem hęc similitudo ex priori sumpta: illic enim ex furno & pistore similitudo erat: hîc ex placenta & re cognata sumitur.

Ephraim.]

Ephraim.] Pœna eſt:id eſt, ſimilis eſt placentę, quam in cineribus ſemicoctam homines famelici deuorant,non expectantes donec vertatur,& penitùs percoquatur. Ita inquit ſubitò Iſraël ab hoſtibus deuorabitur.

VERSVS IX.

Comedunt alieni robur eius,Et tamen non ſentit:præterea canicie conſperſus eſt,& tamen non ſentit.

QVerela eſt de idololatrarum cęcitate & ſtupore:quod nullis pœnis,quantumuis multis & diuturnis emendari queant.

Comedunt.] Reſpicit ad placentæ mentionem proximo verſu factam.

Alieni.] Id eſt,hoſtes,qui regnum Iſraëliticum deuaſtabāt, vt Syri,Aſſyrij,& alij.Vide 4.Reg.cap.15.

Robur eius.]Id eſt,opes & facultates.Metonymia Hebraica.

Et tamen non ſentit.]Id eſt,nō afficitur vllo pœnarū ſenſu,nec reſipiſcit. *Canicie conſperſus eſt.*] Quod vel de curis & calamitatibus intelligi poteſt,quæ cauſa caniciei eſſe ſolet. Vel de tēporis diuturnitate, quo in rebus aduerſis verſati ſunt. Q.d.iam ad ſenectutem vſque in pœnis hæſerunt, & tamen nondum ſapiunt,quare deſperati ſunt.

In duabus vocibus Hebraicis זָרִים & זָרְקָה paronomaſia eſt.

VERSVS X.

Et teſtatur ſuperbia Iſraëlis in facie eius: & tamen non redeunt ad Iehouam Deum ſuum, nec requirunt eum in his omnibus.

EXpolitio eſt,& eiuſdem ſententiæ repetitio.

Teſtatur.] Id eſt, ipſis pœnis quaſi teſtibus coram adductis arguitur & conuincitur Iſraël, peccati ſuperbię, & contumaciæ: vide ſup.cap.5.v.5.

Non redeunt.] Quid ſentire ſeu intelligere proximo verſu

vocauerit Propheta, hîc apparet, nempè *resipiſcere.*

In omnibus his.] ſcilicet tam diuerſis, & pœnis & calamitatibus. Vide ſimilem querelam Eſaiæ 1.

VERSVS XI.

Et Ephraim quaſi columba ſtolida & excors eſt: Aegyptios aduocant, Aſſyrios adeunt.

PEccatum ſpeciale accuſat, nempe fiduciam humanorum præſidiorum in Iſraële, quod humanis auxiliis freti, manum Dei ſeſe euadere poſſe putarunt. Qua de cauſa fœdera & ſocietatem cum Aegyptijs & Aſſyrijs inierunt. Eorumque gratiam magno redimerunt. vide ſuprà v. 8. cap. 5. v. 13.

Hoc autem peccatum, ideo grauius accuſatur, quod in primis idololatriæ & multorum aliorum ſcelerum cauſa & origo in populo Dei fuerit.

Quaſi columba ſtolida.] Quæ ſcilicet inſidias parum cauere ſolet, ac proinde facilè decipitur & capitur.

In vocibus Hebraicis קָרָאוּ & חַל בֵּב rurſũ paronomaſia eſt.

VERSVS XII.

Verum cum eo iuerint, expãdam ſuper eos rete meum, & quaſi aues eos detraham: & caſtigabo eos vt in cœtibus ſuis, (ante) *audiuerunt.*

PEccato pœnam adiungit ſubitam & inexpectatam, quæ ſimilitudine figuratur, ab aucupio ſumpta. Quia enim antè columbis fatuis comparauit. Itaque hîc pœnas retibus comparat.

Audiuerunt.] In Hebræo eſt ſecundum auditum in cœtibus ſuis. vbi ſenſus appellatio, pro obiecto eſt: nempe ſermone, Metonymia Hebraica. vt & Eſaiæ 53. Quis credidit auditui noſtro? Audiuerũt autem pœnarum comminationes in cœtibus & Synagogis. vel ex lege Moſi, quę ſingulis Sabbathis in Synagogis prælegi ſolebat. Act. 15. v. 21. Vel etiam à Prophetis,

phetis, vt Hoſea & aliis, qui pœnas contumacibus prædicerent.

VERSVS XIII.

Væ illis quia à me defecerunt, exitium eis, quia perfidè egerunt contra me: ego redemi eos, & tamen mẽdacium contra me loquuntur.

ET pœna excidij & deuaſtationis populo denunciatur, & peccatum defectionis, perfidię & ingratitudinis accuſatur.

Defecerunt.] quaſi transfugę. Alludere autem videtur ad id quod dixit eos in Aegyptum & Aſſyriam proficiſci, quaſi id eſſet ad hoſtium caſtra transfugere.

Redemi eos.] Id eſt, ſæpiùs liberaui eos è manu hoſtium. Eſt igitur hîc & proximis duobus verſibus, querela, quod populus neque pœnis, neque beneficijs diuinis ad ſaniorem mentem reuocari poſſet.

Mendacium loquuntur.] Id eſt, ſunt ingrati, non ſeriò agnoſcunt beneficium meum, & potius idolis ſuis & hominibus quàm mihi eas liberationes & beneficia aſſcribunt.

VERSVS XIIII.

Et non clamant ad me ex animo, ſed vlulant in cubilibus ſuis propter frumentum & muſtum congregãtur, & interim rebellant contra me.

EAdem querela continuatur.

Non clamant ex animo.] Etſi enim calamitate coacti verum Deum precibus ſuis compellarent: Tamen ſimul etiam ad idola reſpexerunt, & ijs à Deo profecta beneficia accepta ferebant. Notandum igitur eſt, quod dixit Propheta, eos verum Deum non inuocare, qui ſimul Idola inuocẽt.

Vlulant.] per contemptum preces idololatricas & hypocriticas vlulatum appellat.

In cubilibus suis.] Id est, fanis & delubris idolorũ quæ cubilia vocat, vt Idololatria adulterium dicitur.

Propter frumentum.] Specialis reprehensio est, quòd spiritualium rerum securi, de corporalibus tantùm essent soliciti, ideoque & illa tantùm, aut in primis peterent, idque etiam ab Idolis, vt sup. cap. 2. v. 8.

Congregantur.] Scilicet publicè ad precandum.

Rebellant.] Vbi scilicet voti compotes facti fuerint, & nacti quod petierunt.

VERSVS XV.

Ego confirmo & corroboro brachia eorum: tamen ipsi malè de me cogitant.

EAdem querela de ingratitudine & cæcitate populi nõ agnoscentis Dei erga se beneficia, ac proinde non resipiscentis, nec ab idolis mutis ad Deum reuertentis.

Confirmo.] Id est, vires & robur publicè & priuatim, præsertim aduersus hostes ipsis suppedito. *Brachium* autem Hebraicè pro robore & viribus metonymiκῶς vsurpatur.

Malè, seu malum.] Id est, non me, sed Idola opem ipsis ferre. Vel *malum*: id est, idololatriam contra me excogitant.

In penultima voce pręcedentis versus יְסוּרוּ & secunda huiꝰ versus יִסַּרְתִּי paronomasia est, & quasi vinculum horum duorum versuum.

VERSVS XVI.

Reuertuntur sed non ad excelsum, sunt velut arcus fallax, cadent gladio principes ipsorum propter furorem linguæ suæ: in terra Aegypti ludibrio erunt.

QVerela est de pœnitentia hypocritica, seu simulata. Cùm enim in rebus aduersis se pœnitentiam agere velle affirment, interim apud Idola hærent, & ab ijs & hominibus, vt Assyrijs & Ægyptijs auxiliũ expectant, & petunt.

Non ad excelsum.] Id est, Deum. Estque tacita Antithesis Dei & ido-

&idolorum. Eſtque figura ἀπροσδόκητον Vox autem Hebraica עַל etiam de Deo vſurpatur infrà cap.11.v.7.

Vt arcus.] Simile eſt: vt arcus fallax & corruptus ſagittarij expectationem fallit: Ita Iſraël expectationem Dei ſua hypocriſi fallere ſolebat: cùm enim ſtudium pœnitentiæ præ ſe ferret: tamen à Deo ad idola mox defecit: vide Pſalm. 78. v.59. vnde hæc ſimilitudo ſumpta eſt: Conuerſi, ſunt arcus fallax.

Principes.] Vt ſint omnium malorum Autores.

Propter furorem.] Id eſt, peccatum ira & pœna dignum, vt blaſphemiam Dei, & maledicta in Deum, quæ cum idololatria coniuncta erat: vel iactantiam, qua ſpreto Dei auxilio ſuas vires & ſociorum potentiam iactabant, & Deo & hoſtibus opponebant.

Ludibrio erunt.] Id eſt, apud Ægyptios cum quibus nunc fœdus colunt, ab ijs ipſis in calamitatibus deridebuntur. Vide ſuprà v.11. Atq; hactenus Caput ſeptimum fuit.

CAPVT OCTAVVM.

VERSVS PRIMVS.

PAlato tuo adhibe tubam, tanquam aquila veniet hoſtis contra domum Iehouæ, eò quod tranſgreſſi ſunt fœdus meum, & legem meam præuaricati ſunt.



RÆDICIT bellum & vaſtationem regni. Sunt autem in huius verſus parte priore Ellipſes & Apoſiopeſes complures, ad trepidationem & conſternationem ſignificandam.

Palato ſuo.] Oratio eſt figurata hypotypoſi & Apoſtrophe. Compellat enim Propheta præcones ſeu tubicines, & mandat vt tubarum clangore hoſtium aduẽtum denuncient, quaſi diceret: periculum in foribus eſt.

Tanquam aquila.] Similitudo eſt ad rem augendam, qua

hostium potentia & celeritas significatur. *Aquila* enim & robore & celeritate reliquis auibus præstat. Et hæc similitudo ex Mose repetita est, Deut. 48. v. 9. vbi dicitur: Adducet Iehoua aduersum tegentem ab extremo terræ, quæ aduolabit quasi aquila. Eademq; similitudo passim à Prophetis adhibetur: vt Ieremiæ 48. v. 40. & Threnorum 4. v. 19. & alibi. & 2. Samuel. 1. v. 19. de Saule & Ionatha dicitur à Dauide, quod aquilis leuiores & leonibus fortiores fuerint.

Domum Iehoua.] Id est, templum, seu tẽpla idolis polluta, in quibus se Deum rectè colere putabant: per *templa* autem totum regnum intelligitur.

Eò quòd transgreßi sunt.] Caussa pœnæ est, & peccatum populi in genere, nempè violatio legis diuinæ: *fœdus* autem & *lex* hîc pro eodem sunt.

VERSVS II.

Ad me Israëlitæ clamabunt, Deus mi, nouimus te.

POena ex adiuncto describitur: in calamitatibus enim homines ad Deum confugere & clamare solent. Sensus igitur est: *Cùm populus in præsentia me contemnat, nec seriò ad me clamet, tandem in pœnis ipsis serò & frustrà ad me de exilio & pœnarum mitigatione clamabunt.*

Israëlitæ.] In Hebręo hyperbatõ est, & numeri Enallage. Vox enim *Israël*, in fine versus ponitur, idque numero singulari.

Deus mi.] Inuocantium Mimesis est.

Nouimus te.] Id est, à te auxilium expectamus. vt Prouer. 3. v. 6. fide Iehouæ toto corde tuo, & intelligentiæ tuæ ne innitaris, in omnibus viis tuis, cognosce eum, & ipse diriget semitas tuas.

VERSVS III.

Repulit Israël bonum, inimicus persequetur eum.

ID EST,

ISraëlitæ Deum opt. Max. spernunt & relinquunt: itaque hostes infestissimi vicissim eos persequẽtur. In verbis *bonus* & *inimicus*: Item *repellere* & *persequi* Antithesis est.

VER-

VERSVS IIII.

Ipsi reges crearunt, me non Autore, principes fecerunt me inscio: ex argẽto suo & auro suo fecerunt simulacra vt exscindantur.

DVo peccata in specie accusat, nempè defectionem à domo Dauidis, & regibus Iuda, & idololatriam inde sequutam, & à Ieroboamo publicè institutam & cõfirmatam: vide 1. Reg. 12.

Me inscio.] Id est, me inuito, me non probante: nã id Deo ignorante fieri non potuit, & 1. Reg. 11. v. 9. Achias Zilonites eam regni distractionem prædixit. *Vt exscindantur.*] Phrasis hæc diligenter consideranda est, vbi particula לְמַעַן seu *ut*, non tàm finem & consilium, quàm euentũ denotat: neq; enim eo consilio reges crearunt & idola fecerunt, vt sibi ea ratione calamitatem aliquam attraherent, sed magis quod hoc ipsis profuturum esse videretur. Quod verò ipsis vtile videbatur, id noxium & damnosum factum est, quod Deus ea ratione offenderetur. Quare non de consilio hominum, sed potius de facti euentu, vt diximus, hæc phrasis accipiẽda est: vt in his etiam exemplis apparet.

Psal. 51. v. 5. Tibi soli peccaui, vt iustus sis cùm loqueris, & purus sis cùm iudicas: pro, ideoque iustus es dum me reprehendis, & peccati per Prophetas accusas.

Psal. 130. v. 4. Tecum est venia & misericordia, tecum est propitiatio, vt timearis: id est, propterea homines te reuerebuntur, amabunt, & colent.

Matth. 23. v. 34. Persequimini Apostolos & Doctores ad vos missos, vt veniat super vos omnis sanguis iustus: id est, propterea veniet super vos sanguis iustorum.

Eiusmodi & illud esse videtur ad Rom. 1. v. 20. Dei inuisibilis natura, ex creaturis visibilib. apparet, vt homines sint inexcusabiles: pro ideoque homines seu Ethnici, qui idola pro vero Deo colũt, sunt inexcusabiles. Sic igitur & hoc loco est: *Crearũt reges & simulacra fecerũt, ut exscindãtur seu pereãt*: pro, ideoque futurum est, vt exscindantur & tandem pereant.

VERSVS V.

Repellet te vitulus tuus, ô Samaria, exarsit furor meus in eos, quouſq; non poterunt colere innocentiam.

COmminatur pœnã exilij & vastationis, simulq; affirmat vitulos aureos, eorumque cultum non profuturum Samariæ & regno Israëlitico, cùm Deus in ira punire idololatriam ceperit. Estq; Apostrophe ad Samariam regni caput.

Repellet te uitulus.] Id est, propter vitulũ & idololatriam in exilium eijcieris, nec te tum vituli defendere poterint. Verbum autem *repellet* ex versu 3. repetitũ est: q.d. Quia tu Deũ optimum repulisti, vicissim vitulus quem pro Deo coles te repellet, & relinquet.

Exarsit.] Ex ira pœna, & iræ magnitudine, pœnę magnitudo intelligitur. Relatiuum *eos*, pro antecedente est, nempe Israëlitas.

Quousque] peccati accusatio pro negatione: q.d. nũquam colent innocentiam, seu innocentes erunt, nulla est ipsis spes emendationis vt ab Idolis præsertim ad verum Deum reuertantur, vt legi eius obtemperent. Estque hominis irati, vt iam castigare parantis Mimesis, vt in Hebræo Ellipsis.

VERSVS VI.

Nam ex Israële etiam iste est, (scilicet, *vitulus*) *faber fecit eum: neque Deus est: nam in frustula redigitur vitulus Samariæ.*

PErgit in peccati seu Idololatriæ exaggeratione, & simul ratio exprimitur, cur à vitulo nihil auxilij expectari possit. Quòd videlicet non sit Deus, id quod probatur duplici argumento.

I. Causſę efficientis, quòd videlicet vitulus Israëlitarum inuentum & fabri figmentum sit.

II. Deinde adiuncti, quòd rursus frangi & comminui possit:

posſit: adeoque frangendus & comminuendus. Atque hîc dum alterum hunc vitulum ab Iſraële profectum ait, reſpicit ad primum vitulum in deſerto ab Iſraële factum, vt erectum. Exod. 32.

VERSVS VII.

Quia ventum ſerunt, etiam turbinem metent, ſeges nulla erit ipſis, nec germen vnde farina fiat, quæ ſi fortè fieret, ſeu contingeret, hoſtes eam deuorabunt.

IDololatriæ & peccatum & pœnam ſimilitudine ab agricultura ſumpta depingit & amplificat.

Quia uẽtum ſerunt.] Affirmat Propheta Iſraëlitas ſtudio ſuo dignam mercedem à Deo recepturos. Videtur autem prouerbium eſſe ab agricultura ſumptum, quod de re ſtudio & labore inani, aut etiam damnoſo dicatur.

Turbinem metent.] Id eſt, nullum ex inani labore fructum percipient: aut etiam damnum & detrimentum ſentient, vt qui turbine aut tempeſtate violenta euertuntur & proſternuntur. Paulus Galat. 6. v. 7. generaliter hoc extulit: Quicquid, inquit, ſeminauerit homo, hoc & metet.

Seges nulla erit.] Pergit in alluſione ad agriculturam, & clariùs explicat, quòd obſcuriùs dictum videri poterat. *Nulla igitur*, inquit, *merces ipſis laboris erit.* Q. d. aut nulla ſeges erit, aut ſi forte fuerit: tamen ad farinam & panem inutilis erit. Quòd ſi farina aut panis inde fiant, non ipſis, ſed hoſtibus pro cibo erunt, qui per vim omnia ipſis eripient.

In vocibus Hebraicis צֶמַח & קֶמַח illuſtris paronomaſia eſt: aliàs enim trãſitus à germine ad farinã durior eſſet: nam inter ſegetem ſeu germen & farinam intercedunt meſsis trituratio, frumentum.

VERSVS VIII.

Deuorabitur Iſraël (ipſe) *nunc erunt inter Gentes, tanquam vas in quo non eſt oblectatio.*

Pœnæ

POEnæ amplificatio eſt.

Deuorabitur.] Id eſt, non ſolùm panis ipſorum, ſed ipſimet Iſraëlitæ etiam ab hoſtibus deuorabuntur, & quaſi à feris dilaniabuntur. Hic verſus priori annectitur verbi *deuorandi* repetitione.

Nunc erunt.] Idem comparatione vaſis, cuius nulla eſt æſtimatio aut pretium exprimit, paulò poſt tam viles & contempti in exilio inter gentes erunt, quàm eſt aut matula, aut aliud vas ſimile.

VERSVS IX.

Quia ipſi ſe contulerunt ad Aſſyrios vt onagri ſolitarij: Ephraimitæ mercede cõduxerunt amatores.

RVrſum fiducia humanorum prę ſidiorum reprehenditur. Vide ſuprà cap.5. v.13. & cap.7. v.11.

Vt onagri.] Similitudo eſt qua ſtoliditatem populi ab Aſſyrijs opem petentis & expectantis depingit. Vt enim ſuprà cap.7. v.11. Columbis: ita nunc Onagris ſtolidis & fatuis, ſeu feris in genere comparat, quæ videlicet in rem tantùm præſentem intentæ cæco impetu huc illuc feruntur, quod ne homines faciant, Pſalmus 32. v.9. prohibet cùm ait: Nolite fieri ſicut equi & muli in quib. nõ eſt intellectus.

Simul etiã hac ſimilitudine ſignificatur, promptitudo, celeritas, licentia, & libido indomita populi ad Gẽtes diſcurrentis, quæ nullis frenis cohiberi poterat, quo minus id faceret, quo modo hæc ſimilitudo Ieremię 2. v.24. adhiberi in hoc eodem argumento videtur: q.d. Propheta, magno impetu & ſtudio eo feruntur, nec vllas admonitiones audiunt, non aliter atque Onagri magno curſu & celeritate, vel paſcui vel refrigerij cauſſa huc illuc aberrant. *Onagros* autem *ſolitarios* appellat, quòd feræ cœtus more hominum non colant, ſed paſsim in deſerto ſolæ aberrent.

Ephraim.] Alia ſimilitudo eſt, qua inſania populi exprimitur ab adulterio ſumpta. Vt adultera inſano amore ardens muneribus amatores allicere & redimere ſolet: ita mune-

ribus

ribus & largitionibus fœdera & societatē regum externorum Israëlitæ ambiunt, & magno conducunt & redimunt. Quæ similitudo latiùs explicatur Ezechielis 16.v.37. Quāti verò amicitia Assyriorum & aliorum Israëlitis constiterit, facilè colligi potest, ex eo munere, quod Menalten obtulit Phul, Assyriorū regi, 2.Reg.15.v.19. Quod dicitur fuisse mille talentorum.

VERSVS X.

Etiamsi autem conduxerint mercede (amatores) *inter Gentes, tamen mox congregabo eos, & dolebunt paululùm propter onus regis & principum.*

PEccato pœna opponitur ad inanem spem populi refellendam: & hic versus repetitione sententiæ & verborum eorundem præcedenti annectitur.

Congregabo eos.] Id est, vel gentes ab ipsis conductas contra ipsos congregabo, vel Israëlitas ipsos vt capti & vincti ab hostibus abducantur.

Dolebunt.] Scilicet in captiuitate & calamitate.

Paululum.] Ironicè dictum videtur pro Antithesi, pro grauiter & magnoperè dolore afficientur & affligentur.

Propter onus.] *Onus* significat exactiones seu tributa ab exteris regibus & principib. Israëli captiuo imposita.i. vel in genere calamitates, in quas rex Israël cum suis principibus in exilium abductus incidit. Rex igitur & principes, vel de externis, vt Assyrijs, vel proprijs intelligi possunt.

VERSVS XI.

Quia multiplicauit altaria ad peccandum, erunt etiā ipsi altaria ad peccandum.

RVrsum idololatriam taxat, & versus hic eorundē verborum repetitione figuratus est: vox autem *peccare* in posteriore parte versus pro reatu & pœnis accipi videtur. Estq; tum Antanaclasis. Diximus autem aliquoties

morem esse Prophetarum, vt ijsdem verbis, & peccata & peccati pœnas interdum exprimant, verborũ significatione immutata. Sensus igitur erit: *Erunt ipsi altaria ad peccandum*: id est, quibus sibi pœnas attrahat: potest tamen & sic exponi: *Erunt altaria ad peccandum*, cùm scilicet in exilio inter Gentes dispersi fuerint: quo sensu etiam pœna innuitur.

VERSVS XII.

Scripsi ei honorabilia legis meæ: ea verò quasi res aliena ab ipso habita sunt.

QVerela est de peccato populi in genere, nempe legis doctrinæ & verbi contemptu.

Scripsi ei.] Scilicet ego Deus. Dei beneficium igitur amplificatur, qui legem ac doctrinam perfectam & absolutam Israëli tradidit, in qua normam sui colendi ipse perscripserat, quod summum beneficium Dauid etiam Psalm. 147. celebrat, qui annunciat verbum suum ipsi Iacob, & statuta sua Israëli: non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit ipsis.

Verbum *Scripsi*. In Hebræo futurum est pro præterito.

Honorabilia.] Doctrinæ cœlestis Encomion est, quo perfectio, præstantia, & excellentia significatur: nomẽ enim Hebraicum רִבֵּר res amplas, pretiosas, præstantes & excellentes significat, & in hac voce allusio est ad verbum quod in præcedente versu est הִרְבָּה seu multiplicauit. Significat igitur pretiosa legis præcepta, seu pretiosam & excellẽtem legem. Simile autem Encomion doctrinæ cœlestis vide Deut. 4. v. 6. & 8. & Psal. 119. v. 129. Res mirabiles testimonia tua. Obiter etiam obseruãdum est, quod antè diximus, Prophetas doctrinę suę autoritatem ex lege Mosaica repetere: vide sup. cap. 4. v. 6. & 8. v. 1.

Sed ea.] Populi ingratitudo Dei beneficio opponitur, qui legem sibi traditam non aliter habuerunt, ac si nihil ad se pertineret, sed potius ad Ægyptios & Assyrios, aut ad alias

Gentes profanas ſpectaret, & ſpreta lege Dei ſibi ipſis cultus & religiones finxerunt & inſtituerunt.

VERSVS XIII.

In ſacrificijs donorum meorum immolant carnem (& eam) *comedunt, ſed Iehoua non delectatur ijs: Nunc* (ergo) *recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccatum eorum: ipſi autem in Aegyptum reuertentur.*

SAcrificia contemptum legis ad ſpeciem accommodat, nempe ſuperſtitionem & ſacrificiorum abuſum, quod ſine vero Dei timore & legis obedientia ſacrificia cumularent, peccati expiandi & Dei placandi cauſſa, & ſi neq; illa ipſa ſacrificia ex præſcripto legis facerent, ideo ſacrificia eorum carnem ſeu carnes vocat: id eſt, prophanas tantùm & cruentas mactationes & lanienas.

In ſacrificijs donorum.] Id eſt, quæ vice donorum ſeu munerum mihi offeruntur. Vox Hebraica חַבְהַב nomen geminatum eſt, quod hîc tantùm extat. Verbum autem ſuprà fuit quod cap.4.v.18.nunc autem pœna eſt.. Verbum autem *recordandi* pro punire eſt.

Ipſi reuertentur.] Senſus ambiguus eſt & figuratus: nã quod verba ſimpliciter accipi nequeant, docet cap.11. Non reuertentur in Ægyptum, ſed Aſſur erit rex eius, vel igitur Ægyptus pro quauis ſeruitute & exilio accipi poteſt per Synecdochen, vt ſit ſenſus: *Reuertentur in Aegyptum*.i. exilium & ſeruitutem qualem olim in Ægypto paſsi ſunt. Vel etiam verbum reuertẽdi ſtudium, conatum, & voluntatem includit, de qua phraſi diximus ſuprà cap.6.v.11.& cap.7.v.1. Ac tum rurſus geminus ſenſus eſſe poteſt, quorum primus ſit: *Conabuntur redire in Aegyptum, quòd ibi præſidium & auxilium contra perſequutionem hoſtium inuenturi ſint.* Tumq; ironia, & ſtulti cõſilij irriſio eſt, quod minimè ſcilicet ibi inuenturi ſint, quod quærunt: vide ſuprà cap.7.v.16.& infrà cap.9.v.6. Alter ſen-

ſus: *Conabuntur reuerti in Aegyptum*: id eſt, priſtinam ſeruitutem Ægyptiacam propter afflictionum præſentium magnitudinem. Ac tum alluſio eſſe poteſt ad hiſtoriam Num. 14. v. 4. vbi populus de terra Canaan occupanda diſperans in Ægyptum reuerti conatur.

VERSVS XIIII.

Et quoniam oblitus eſt Iſraël factoris ſui, & ædificauit palatia, & Iuda multiplicauit vrbes munitas, igitur mittam ignem in vrbes huius, & conſumet palatia eius.

ALia rurſum peccati ſpecies eſt, fiducia nempè humanorum præſidiorum, quæ in Iſraële & Iuda reprehenditur: vide ſuprà v. 9.

Oblitus eſt.] Id eſt, non amplius ab eo auxilium exſpectat, ſed ſuis viribus & opibus fidit, præſertim vrbibus & arcibus munitis.

Factoris ſui.] Id eſt, Dei, qui non tantùm creauit eum, ſed etiam peculiariter eum ex omnibus populis elegit, eumque ſibi adoptauit: quomodo Moſes & loquitur Deut. 32. v. 15. Dereliquit Iſraël factorem ſuum, & deſpexit Deum ſalutem ſuam.

Palatia.] Vocem Hebraicam הֵיכָלוֹת *palatia* potius hoc loco quàm *templa* vertere volui, quòd pro hac voce in poſteriore parte verſus ſubſtitui videtur quaſi Synonymon. Vox אַרְמְנוֹת: id eſt, *palatia*.

Multiplicauit.] Ex verſu 11. verbum hoc repetitum eſt: nam ibi dixit: *Altaria multiplicari*: id eſt, multa, magna & ſpecioſa altaria extrui. De hac autem vrbium & arcium extruendarum & muniendarũ ſtudio præpoſtero plura vide Eſaiæ 22. verſ. 8.

Mittam.] Pœna eſt qua ſignificatur nulla tã eſſe firma præſidia quæ iræ Dei reſiſtere, & manum atque potentiam eius arcere poterint, vbi punire atque graſſari ceperit. Ita enim

Dei

Dei instar ignis est omnia deuorantis & absumentis.

Palatia eius.] Posterius relatiuum fœmininum genere per Enallagen mutato. Atque hactenus Caput octauum fuit.

CAPVT NONVM.

VERSVS PRIMVS.

NE læteris Israël exultatione sicut alij populi solent, quia fornicando defecisti à Deo tuo, & dilexisti quæstum super omnes areas tritici.



E *læteris.*] Prohibitione gaudij indicat instare tempora tristia & publicas calamitates: in rebus enim secundis homines priuatim & publicè læti esse solent, in aduersis contrà: vide Ieremiam cap. 31. v. 4. & Threnorum 5. v. 14.

Quia fornicando.] Peccatum est idololatria & fornicatio spiritualis.

Quæstum.] Id est, mercedem meretriceam: id est, coluisti Deos alienos tanquam amatores, vt dent tibi & augeant frumentum & alia bona. Vna enim species bonorum, pro alijs omnibus ponitur: vt autem Israël Assyriorum & Ægyptiorum amicitiam mercede conduxit, cap. 8. v. 9. Ita vicissim Deos alienos spe mercedis colebat: vide suprà capite 2. vers. 8.

Super areas.] Id est, Horrea. Orientales enim in areis frumenta seruare solebant, vt sit sensus: *Petis & expectas ab idolis ut horrea tua frumento impleant.*

VERSVS II.

Ideoq; area & torcular non pascet eos, & mustũ mentietur ei.

POena est specialis, nẽpe fames, annonæ caritas, & rerũ omnium inopia: vide suprà cap. 2. v. 9.

Area & torcular.] Continentię sunt pro contentis, nẽpe pro frumento & vino. Simul autem significat, cùm areã & torcular nominat, fore, vt in maxima copia, quæ iam in manibus sit, subitò destituantur, & esuriant. Vocem autem *areæ* ex proximo versu repetit, eaque repetitione versus cohærent.

Mentictur ei.] Id est, fallet spem eius, atq; destituet eos.

VERSVS III.

Non habitabunt in terra Iehouæ: sed reuertetur Ephraim in Misraim: & in Assur immundum comedent.

ALtera pœna est nempe exilium.

Reuertetur.] Id est, rursum simili seruitute opprimetur, qualem olim in Ægypto seruierunt. In vocibus *Ephraim* & *Misraim* paranomasia est: vide quæ suprà ad versum 13. cap. 8. diximus. Vtrobique autem ad locum Mosis respicere videtur Propheta, qui locus est Deut. 28. v. 68. Reducetq; te Iehoua in Aegyptum, *&c.*

Et in Assur.] In Assyriam enim captiui abducti sunt, & hic versus exilij locus est.

Immundum comedent.] Id est, quæ in lege Mosis vetita sunt. Deut. 14. Deus enim discrimen ciborum in lege instituerat, vt populus illis externis exercitijs ad internam sanctitatẽ & puritatem excitaretur, vt Deum purè colerẽt, & eius beneficijs sanctè & sobriè fruerentur. Quod discrimẽ tempore Euangelij sublatum est: vide Act. 11. v. 9. Et Coloss. 2. v. 20. Quoniam autem hoc discrimen ciborum apud Gentes nõ esset, itaque inter illas futurum esse affirmat, vt cibis immundis vescatur. Idem autem Ezechiel minatur Iudæis, capite 4. vers. 13.

VER-

VERSVS IIII.

Non libabunt Iehouæ vinum, neq; grata erunt ipsi sacrificia ipsorum, tanquam cibus lugentium erunt ipsis, quem qui comederit, polluetur: nam cibus eorum (qui est) *pro anima eorum non veniet in domum Iehouæ.*

EXaggerat miserias exilij, quod in eo futuri essent sine verbo & cultu, & si conarentur Deum sacrificijs placare, id frustrà futurum

Non libabunt.] Id est, nullos habebunt cultus vsitatos. Est enim species pro genere. Cùm enim nullum tẽplum esset, nulli sacrorum ministri neque libare, neque sacrificare poterant. Vini autem libatio appendix erat sacrificiorum: vide Num. 15.

Neq; grata.] Id est, etsi sacrificarunt, tamen non libabunt.

Cibus lugentium.] Amplificatio à simili: à lugentibus autem non poterant offerri sacrificia antequam purificarentur: cõtaminabant enim quæcunque contrectabant: vide Num. 19. v. 11.

Polluetur.] Id est, pollui solet.

Nam cibus eorum.] Id est, oblatio quam solent offerre, pro anima sua expianda.

Non ueniet.] Id est, non erit Deo grata, sed quasi immunda reputabitur: nihil autem immundum in templum aut domum Iehouæ adferri licuit. In primis autem cibus lugentium in templum non afferebatur: sacrificia enim summa & mera cum lætitia celebranda erant: vide Num. 10. v. 10. & Deut. 12. v. 7.

VERSVS V.

Quid facietis in die solennitatis, & in die festiuitatis Iehouæ.

Affir-

AFfirmat festa cultu abolito nulla in exilio celebratũ iri. *Festa* autem appellat sabbatha, *Calendas* Pascha, *&c.* quibus non tàm feriari & lætari, quàm laborare & lugere in exilio deberent. Vide Psal. 137. v. 1, *&c.* Super flumina Babylonis sedimus & fleuimus dum recordaremur Sion.

VERSVS VI.

Quia ecce abituri sunt propter vastitatẽ, Aegyptus colliget eos, Memphis sepeliet eos domos desiderabiles argenti, vrtica hæreditario iure accipiet, & spinæ in tabernaculis eorum crescent.

EXilium & vastitas terrę denunciatur.

Propter uastitatem.] Scilicet vrbium & agrorum, & terræ totius, deserent & aliò se conferrent.

Aegyptus colliget.] Id est, si in Aegyptũ profugerint ibi interituri & perituri sunt: *Colligere* enim hîc perdere significat, seu mortuos ad sepulchra colligere: vide suprà capite 8. vers. 10. & 13.

Memphis.] Idem repetit: nominat enim vrbem regiam, pro toto regno.

Memphis autem ad Nilum sita erat in vertice Deltha, quod efficit Nilus scindens sese in plures alueos. Hebraicè hoc loco מף dicitur, aliàs autem נף, vt Esaiæ *19. v. 13.* hodie *Alchairum* vocant, quæ instar amplissimæ regionis hodie patet, olim Pyramidibus & monumentis regum celebris.

Domos.] Vastitatem terræ amplificat, quæ tanta futura sit, vt splẽdidissimorum ædificiorum loca vrticæ & spinæ sint occupaturæ.

Argenti.] Id est, vel argento emptas & magnificè extructas & ornatas: vel in quibus argentum & thesauri recondi solebant.

VERSVS VII.

Adsunt tempora visitationis illius, adsunt tempora retribu-

retributionis, cognoscent Israëlitæ: cognoscent, inquam, stultum illum Prophetam, insanum virum spiritus, propter multitudinem iniquitatis suæ, & multum odium.

AFfirmat tempus pœnæ & exilij & vastitatis instare & præ foribus esse.

tempora uisitationis.] Id est, pœnæ: vide suprà capite 1. vers. 4. & 2. v. 13.

Cognoscent Israëlitæ.] Id est, breui reipsa experientur & sentient non fuisse vanas Prophetarum prędictiones & admonitiones.

Stultum Prophetam.] Hæc verba alij de Pseudoprophetis interpretantur, qui populo pacem promittebant: hoc igitur sensu dicitur tum futurum vt stultos & vanos fuisse eos appareat. Alij de ipso Hosea & collegis eius hæc intelligunt: q.d. nunc putant & dicunt nos stultos esse qui pœnas prædicimus, sed tum intelligent nos minimè insanos fuisse, ac tum ironia est. *Cognoscent stultum*, &c. pro sapientem & veracem.

Virum spiritus.] Vel Prophetæ periphrasis est, vel si de Pseudoprophetis intelligas, significat hominem ventosum & vanum.

Propter multitudinē.] Scilicet vel visitabit & puniet te Deus: vt ad priorem versus partem referatur. Vel Pseudoprophetæ te seducunt, & in errorem inducunt, vt ad proxima referantur. Vt enim pij & sinceri Doctores singulari Dei beneficio Ecclesiæ dantur Eph. 4. v. 11. Ita impij & falsi Doctores pœnæ sunt peccatorum, & Dei grauissimè offensi, testimonia. Vide 2. Thessal. 2. v. 11. pro eo inquit Paulus quod non recipiunt aut amant veritatem, propterea mittet illis Deus efficacem deceptionem, vt credant mendacio.

Suæ.] In Hebræo *tuæ* est, per Enallagen personæ.

Odium.] Id est, peccatum odio dignum: vel specialiter cōtumaciam & peruicaciam populi significat.

VERSVS VIII.

Speculator Ephraimi cum Deo meo: Propheta est laqueus aucupis in omnibus vijs eius, odium in domo Dei eius.

SI hæc ad Pseudoprophetas referimus, sensus esse videtur hic: *Prophetæ qui quasi speculatores esse deberent, & homines de periculis cauendis admonerent, ipsi quasi aucupes homines falsa doctrina, quasi laqueo capiunt, & in exitium pertrahunt, quos propterea summè odit Deus, nec in domo sua ferre potest*: vide suprà cap.5.v.1. Si autem de veris Prophetis accipimus, sensus esse videtur: *Prophetæ qui quasi speculatorum munere funguntur, & de periculis cauendis populum admonent, ab ijs populus quasi ab aucupibus & uenatoribus aues & feræ abhorrent, eosq́; extremè oderunt, nec in templis suis ferre possunt.*

Speculator.] Munus propheticum commendatur ab vsu. Vt enim speculator excubat, & de hostium aduentu suos maturè admonet, ne ex improuiso obruantur: ita ministri verbi pro suorum auditorum salute excubant, *&c.*

Cum Deo.] Id est, Dei nomine, seu in rebus ad Dei gloriam pertinentibus.

In domo.] Id est, vel in templo, vel in Ecclesia tota: vt Num. 12.v.7. Moses fidelis in tota domo mea est.

VERSVS IX.

Grauißimè corrupti sunt, sicut tempore Gibea: (breui igitur) *recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum.*

G*Rauißimè.*] Idololatriæ exaggeratio per comparationem. Quàm, inquit, olim effrenis erat Gibeanitarum libido, & profligata turpitudo, tàm effrenis est & insana Israëlitarum in idolis colendis libido. De Gibeanitarum autem impuritate, vide Iudic. 19. vers. 16. & inde ad finem libri vsque.

Breui

Breui igitur.] Pœnæ comminatio est: vide suprà cap. 13.

VERSVS X.

Tanquam vuas in deserto inueni Israël, & tanquam primum fructum in ficu, cùm primum fert fructum vidi maiores vestros, ipsi (tamen) *ingressi sunt ad Peor, separaueruntq; sese* (à me) *ad probrum, & quò magis eos dilexi, eò fœdius peccarunt.*

AMplificatio Idololatriæ Israëliticæ per collationem. Sicut olim, inquit, ingrati erga me fuerũt & idola coluerunt maiores Israëlitarum: sic & ipsi hoc tempore faciunt: sed protasis similitudinis hîc tantùm exprimitur.

Tanquam uuas.] Beneficium & amor Dei erga veterem populum duplici similitudine exprimitur. Quàm, inquit, charæ sunt vuæ, quæ à viatore fesso & siticuloso in deserto fortè inueniuntur, aut quàm charus est fructus primus ficus, cùm primum fert fructum, tam chari mihi erant maiores vestri cùm eos ex Aegypto educerem & per desertum deducerem.

Ipsi tamen.] Ingratitudo est & peccatum idololatriæ.

Ingressi sunt.] Alludit ad consuetudinem viri & mulieris quæ Hebraicè hac voce modestè exprimitur: vt Psalm. 51. Cùm ingressus esset Dauid ad Berzabe. Idololatria igitur vt aliàs ferè semper adulterio comparatur.

Baal Peor.] Id est, idolum Moabiticum, ad quod colendum à mulieribus Moabiticis, quarum consuetudine vtebantur, se pellici passi sunt Israëlitæ: vide Num. 25.

Ad probrum.] Id est, ad flagitium & idololatriam, vel ad idolum ipsum.

VERSVS XI.

Ephraimitarum gloria quasi auis auolabit à partu & ab vtero & à conceptione.

POEna adulterij spiritualis denuntiat sterilitatem & orbitatem.

Gloria.] Id eſt, ſoboles ſeu liberi, vnde maximè homines gloriari ſolent, & Iudæi in primis gloriari ſolebant: vnde dicitur Prouerb. 17. v. 6. Corona ſenum filij filiorum: gloria enim ſeu decor ſeu ornamentum Hebræis pro re quauis deſiderabili, laudabili, & precioſa ponitur.

Quaſi auis.] Similitudo, & in vocibus Hebraicis עוף & יתעופף Paronomaſia eſt: quaſi diceret volucris uolabit.

A' *partu.*] Per diſtributionem & gradus pœnarum calamitatem amplificat: q. d. liberi eorum morituri ſunt quamprimùm in lucem prodierint, aut abortiẽt vxores, aut prorſus non concipient.

VERSVS XII.

Quòd ſi educauerint filios ſuos, tamen orbabo eos vt non ſint homines: quia væ etiam ipſis cùm receſſero ab eis.

PErgit in ſterilitate & orbitate deſcribenda. Quod ſi, inquit, liberi non ſtatim perierint: tamen ad ætatem virilem non ſunt peruenturi. Eſtque quaſi prioris comminationis correctio.

Orbabo.] Vel vnum verbum eſt pro duobus, vt ſit, *orbabo eos*, ſcilicet parentes, & interficiam liberos, ne ſint amplius homines: vel *orbare* ſimpliciter eſt pro *occidere*, vt ſit, *orbabo*: id eſt, occidam eos, ſcilicet liberos.

Quia etiam uæ.] A' ſpeciali pœna generalis per Epiphonema infertur: vide ſup. cap. 7. v. 13.

VERSVS XIII.

Ephraim vt video ſimilis eſt Tyro plantatæ in amœnitate: & tamen Ephraim educturus eſt ad interfectores filios ſuos.

ORbitas alia figura deſcribitur.

Ephraim.] Primùm potentia & proſperitas regni Iſraëlitici exprimitur, vt quæ ea nitebatur ſpes & fiducia

ducia vana populi refellatur. Potentiam enim & ſtatum regni florentem confert cum potẽtia & gloria Tyri: de qua vide Ezechiel.26.v.27.& 28. Et hanc rurſum comparat cum arbore felici, quæ loco amœno plantata copioſum fructum ferat. *In amœnitate.*] Vox Hebraica & amœnitatem & habitationem ſeu habitaculum amœnum & iucundũ ſignificat.

Et tamen.] Potentiæ pœna opponitur.

Ephraim.] Antecedens hoc verſu pro relatiuo repetitur, quod alludere videatur Propheta ad vocis Etymõ. *Ephraim* enim à verbo פָּרָה dicitur, quod ſignificat fructificare, ſeu vberem & fœcundum eſſe, vt hîc per ἀντίφρασιν Ephraim dicatur, quaſi minimè fœcundus, aut quia ex fœcundo ſterilis & orbus futurus eſſet.

Educturus eſt.] Vel eſt Alluſio ad arborem quę fructus ideo fert, vt comedantur: vel ad habitaculum, vt ſit ſenſus: *Ex munitionibus & propugnaculis quibus nunc fidunt, tandẽ liberos ſuos ipſi educturi ſunt ad hoſtes, ut ab ipſis interficiantur.*

VERSVS XIIII.

Da illis Iehoua, quid dabis? da, inquam, ipſis vterum ſterilem, & vbera arida.

EAndem pœnam ſterilitatis & orbitatis forma precationis denunciat. Quæ enim iam pœna ipſis deſtinata erat, eam ipſis Propheta imprecatur. Vel etiam ſenſus eſſe poteſt: *Vt potius ſterilitatem & orbitatem ipſis precetur ne filij adulti ab hoſtibus crudeliter mactarentur:* quo ſenſu ſimul etiam maxima excidij calamitas ſignificatur. Vnde & Lucę 21 mulieres ſteriles beatæ dicuntur, quòd eorum liberi nõ eſſent viſuri calamitates ſecundi excidij vrbis Ieruſolomitanæ. Poteſt enim ſimpliciter pœnæ denunciatio eſſe, vt imperatiuus ſit pro futuro, & Apoſtrophæ ad Deum ſit vehementiæ cauſſa.

Vbera arida.] Id eſt, quæ nõ alant infantes, vnde illi præ lactis inopia ſtatim extinguantur.

VERSVS XV.

Omnis malitia eorum in Gilgal est: quia ibi odi eos: propter malitiam operum ipsorum è domo mea eijciam eos, non addam amplius vt eos amem: omnes enim principes eorum interfectores sunt.

OMnis malitia.] Id est, idololatria quæ est summũ scelus etiam in Gilgal ab Israëlitis excercetur: vide sup. ca. 4. v. 15. & infrà 12. v. 11.

Ibi odi eos.] Id est, Propter opera & peccata quæ ibi perpetrantur eos odi.

Propter malitiam.] Pœna exilij & odij perpetui.

Eijciam eos.] Videtur respicere, ad id quod proximè dixit: *Educturi sunt ad interfectorem liberos*: q. d. Si illi educere noluerint, ego per vim & ipsos, & liberos ipsorum expellam.

Non addam.] Id est, nunquam rursus in patriam reducam: loquitur enim de pœna corporali.

Principes.] Principes nominat vt pręcipuos mali Autores. In vocibus Hebraicis שָׂרֵי & סֹרְרִים Paronomasia est.

VERSVS XVI.

Cædetur Ephraim, radix eorum exarescet: fructum non ferent: Quod si etiam genuerint, delicias ventris eorum interficiam.

EAndem sterilitatis, orbitatis, & excidij pœnam, partim figuratè, partim propriè exprimit.

Cædetur Ephraim.] Sterilitatem exprimit similitudine ab arbore sumpta, qua cæsa radix paulatim exarescit, & fructus nullus gignitur.

Quod si etiam.] Orbitatem & excidium proprijs verbis exprimit, & simul exceptio est ad partem priorẽ versus, qualis fuit versus vndecimus & duodecimus.

Delicias.] Periphrasis liberorum est, quasi dicat charissima pignora. In Hebræo *desiderabilia seu desideria uentris eorum est.*

Interficiam.] scilicet opera hostium.

VERSVS XVII.

Abijciet eos Deus meus, quia ei non obtemperant, & erunt vagi inter gentes.

QVod hactenus varijs figuris expressit, id nunc proprijs verbis effert, nempè populum tãdem à Deo abiectum iri, & perpetuò inter Gentes exulaturum. Simul etiam obiter peccatum inseritur & generaliter exprimitur, nempè inobedientię & contẽptus verbi Dei & mandatorum eius: vide sup. 6. cap. v. 6.

Atque hactenus Caput nonum fuit.

CAPVT DECIMVM.

VERSVS PRIMVS.

VItem euacuat Israël & fructum reponit sibi: quò autem plus fructus percipit, eò plures aras extruit: quoq; melior est eorũ terra, eò melius statuas faciunt.



PECCATVM est & querela, quòd populus Dei beneficia & dona idolis suis accepta ferret, ac proinde quò magis Dei benedictiones perciperet, eò magis idola ipsa coleret, cumularet, & ornaret: vide sup. c. 2. v. 5. 8, *&c.*

Vitem.] Id est, vites per Enallagen, & vites Synecdochicῶs pro omnibus terræ nascentibus sunt.

Euacuat.] Alij plerique hoc verbum intransitiuè ferè accipiunt, vnde variæ interpretationes existunt, quas hoc tempore non commemoro. Sensus est: *Israël ex uitibus uuas colligit, & uinum oleum atq; frumentum abundè percipit.*

Quò

Quo autem.] Ingratitudo erga Deum eſt, quòd quo terra & annus fertilior eſſet, eò impenſius idola eo nomine colerẽt.

VERSVS II.

Diuiſum eſt cor eorum: ideo nunc deſolabuntur, ipſe confringet aras eorum & deſtruet ſtatuas eorum:

D*iuiſum eſt.*] Pergit in peccato accuſando, quòd cor habeant diuiſum inter Deum & idola non aliter atque adultera animum diuiſum habet, cuius partem maritus, partem & quidem maiorem occupat adulter. Hæc autem animi diuiſio opponitur illi mãdato: Diliges Iehouam toto corde.

Ideo.] Pœna eſt. *Ipſe.*] Scilicet Deus.

Confringet.] In Hebræo hîc Metaphora eſt ab animali ad rem inanimatam, propriè ſignificat verbum iugulare aut ceruicem incidere. Quare Alluſio eſt ad ipſos vitulos qui in Dan & Bethel colebantur, ſed pro vitulis, aras, & ſtatuas, vt cultus eorum inſtrumenta ex proximo verſu repetita ſubſtituit.

VERSVS III.

Nunc igitur dicturi ſunt, non eſt Rex nobis, quia non timuimus Iehouam, quid igitur rex faceret nobis?

REgis priuatione regni excidium ſignificatur.

Quia non timuimus.] Significat tantam fore calamitatem, vt ipſa magnitudine coacti & conuicti peccatum ſuum agnoſcant & fateantur.

Quid faceret?] Scilicet qui non poteſt Deo irato & nobis offenſo nos iuuare.

VERSVS IIII.

Loquendo & fœdus feriendo iurarunt mendaciter: itaq; germinabit iudiciũ eorum, quaſi abſinthium in ſulcis agrorum.

Perfidia

PErfidia populi accuſatur qui fœdus à maioribus ipſorũ cum Deo pro ſe & poſteris initum, & à poſteris ſubinde renouatum non ſeruaſſet: vide ſup. cap. 8. v. 1.

Itaq; germinabit.] Pœna eſt figurata collatione: cõfert enim iudicium: id eſt, pœnam, cum herba amariſsima, nempè, abſynthio, paſsim in campis prouueniente, vbi potius ſeges melior expectanda erat.

Alij autem pro Abſynthio *fel* vertũnt, alij *uenenum*, alij *herbam uenenatam*.

In vocibus autem Hebraicis hyperbaton eſſe videtur, quod ſuſtulimus.

VERSVS V.

Et propter vitulum Bethauen expaueſcent Incolæ Samariæ, vtiq; lugebit propter eum populus eius, & ſacrificuli eius, qui de eo, deq; gloria eius lætari ſolebãt, lugebunt quod gloria eius ab eo ſit migratura.

POEna idololatriæ ad finem verſus octaui continuatur. Affirmat autem hoc verſu vitulos quos pro dijs colebant, vnà cum populo calamitati obnoxios futuros.

Propter uitulum.] In Hebræo & numeri & generis Enallage eſt: vitulum autem ſeu vitulos, ſeu vaccas, pro quouis idolo ponit.

Bethauen.] Sic Bethel contemptus & ignominię cauſſa dicitur: vide ſuprà cap. 4. v. 15. & cap. 5. v. 8.

Expaueſcent.] Ex metu & luctu pericula & calamitates intelliguntur. *Expaueſcere* igitur & *lugere* ſumma pericula & anguſtias ſignificant.

Sacrificuli.] Hebraice eſt בְּמָרָיו. Sic autem dicebantur ſacerdotes idololatrici à ſtudio & ardore fortaſſe falſæ religionis: vel per contemptum, quaſi qui ignem tantũ accenderent, & tractarẽt, propter crebra ſacrificia. Verbum enim Hebrai cum כמר *incendi* ſignificat: vide 2. Reg. 23. v. 5. & Sophoniæ 1. v. 4. Vbi exſcindam, inquit, de loco iſto reliquias Baal, & nomen Kemarim.

In vocibus Hebraicis גילה & גלה Paronomasia est.

Gloria.] Id est, cultus & opinio de eorum dininitate & ornamenta omnia. Est igitur sensus: *Vitulus contemptus & despectus erit.*

VERSVS VI.

Etiam ipse (vitulus) *in Assyriam deportabitur munus Regi Iareb, pudore afficietur Ephraim, & pudebit Israëlem consilij sui.*

AFfirmat etiam vitulos ipsos vnà cum populo ab hostibus in exilium deportandos, summa cum populi ignominia & dedecore: vide sup. cap. 8. v. 6.

Munus.] Erát enim vituli aurei, quare quasi munus honorarium regi Assyrio offerri poterant. Alludit autem ad munera quæ reges Israëlitici regibus Assyrijs pro amicitia eorum & pace redimenda iam antè deportare consueuerunt: q. d. Deus ipse ipsorum postremum munus erit.

Iareb.] Id est, regi Assyriorum: vide sup. cap. 5. v. 3.

Pudore.] Bis eandem sententiam repetit, vt magis animis stupidis infigat.

Consilij sui.] Vide 1. Reg. cap. 12. v. 22.

VERSVS VII.

Excidetur Samariæ Rex sicut spuma in superficie aquarum.

SPecialiter regi interitum minatur, qui tum sibi potens videbatur, & per regis interitum regni excidium significatur.

Spumæ autem similitudine regis potentiam extenuat, & hostium potentiam & facilem victoriam designat.

VERSVS VIII.

Disperdentur excelsa Auen, peccatum Israël, spina & tribulus crescēt in aris ipsorū, & (tunc) *dicturi sunt montibus: Operite nos, & collibus: Cadite super nos.*

Templo-

TEmplorum Idololatricorum excidium & vastatio est, vnde tanta consequetur calamitas, & desperatio populi, vt mallent ipsorum montiū ruina opprimi, quàm in eiusmodi calamitates incidere, earúue spectatores esse.

Auen.] Suprà v. 5. Bethauen dixit, pro eo quod hic tantùm *Auen* dicitur.

Peccatum.] Id est, locus sceleris & flagitij per Metonymiā.

Spina.] Vastitas ab adiuncto describitur. Spina enim & tribulus in locis incultis & vastis prouenire solent: vide suprà 9. vers. 6.

Dicturi sunt.] His verbis intollerabilis vindictæ diuinę grauitas horrorque & desperatio hominum significatur: vide Luc 23. v. 30. & Apocalyp. cap. 6. v. 16. Significatur enim his verbis homines metu & impatientia periculorum & ęrumnarum sæpè mortem optare, eamq; inprimis subitam. Hìc autem Propheta non tàm in genere de quibusvis mōtibus loqui videturquàm in specie de ijs ipsis mōtibus in quibus sacella, fana & altaria idolorum extructa erant, vt ex vocibus Hebraicis apparet. Significat igitur fore, vt ab ijsdem montibus se opprimi & interfici petant, in quibus spem omnem ante collocatam habebāt. In prima autē voce huius versus, & prima præcedentis rursum Paronomasia est.

VERSVS IX.

Plusquàm diebus Gibea peccas Israël, ibi steterunt dicentes non apprehendet eos qui sunt in Gibea, prelium susceptum contra filios iniquitatis.

RVrsum peccatum Israëlis, nempe pertinaciā & securitatem accusat, quòd impudēter & peruicaciter idola colant, nèc vllo pœnarum metu afficiantur, idque collatione Gibeanorum exaggerat. Affirmat enim Israëlitarum malitiam & pertinaciam maiorem esse, quàm fuerit olim Gibeanorum. Vt enim sup. cap. 9. v. 9 hoc idem exemplum quasi par adductū fuit, ita hìc quasi minus adducitur.

Ibi.] Scilicet in Gibea.

Steterunt.] Scilicet Gibeani.

Apprehendet eos.] Id eſt, nos ciues Gibeanos. Eſt enim perſonæ Enallage tertia pro prima poſita.

Prælium.] Quod Iſraëlitæ contra nos quaſi impios & ſceleratos ſuſceperunt: id eſt, non vincent nos, ſed nos potius victores futuri ſumus.

VERSVS X.

In votis igitur mihi eſt vt caſtigem eos, itaq́ colligentur contra eos populi, cùm colligauero eos in duobus ſulcis ſuis.

POenę comminatio peccato ſubijcitur.

In uotis igitur.] Id eſt, magnopere eos caſtigare cupio, eosq́; caſtigabo, ſcilicet vt reſipiſcãt. Aliàs enim Deus nec libenter, nec ex animo caſtigat aut affligit, vt dicitur Threnorum 3. v. 33.

Colligentur.] Id eſt, hoſtes qui eos meo nomine caſtigabũt.

Cùm colligauero.] Metaphora eſſe videtur à duobus bobus qui arandi cauſſa, ſub vnum iugum coguntur, quique per duos quaſi agri ſulcos incedere ſolent, vt ſit ſenſus: *Vbi ſub iugum coëgero eos, ſimul quaſi boues arent*: id eſt, hoſtibus & exteris ſeruiant.

In verbo autem *caſtigandi*, & *colligandi* Hebraicè inſignis Paranomaſia eſt.

VERSVS XI.

Et quoniam Ephraim vitula eſt perita & cupida triturandi, cuius pulchrum collum egõ hactenus præterij. Itaq́ imponam deinceps ipſi Ephraim iugum, & arabit Iuda, & occabit Iacob.

ALlegoria eſt ex agricultura ſumpta, ex proximo verſu pendens, vbi boum arantiũ & ſulcorum agri mentio facta eſt.

Et quoniam Ephraim.] Primùm hac Allegoria petulantia & laſciuia

lasciuia Israëlis per comparationem describitur. Comparat enim Israëlem iuuencæ lasciuæ, indomitæ, & ad iugum nondum assuefactæ, quæ trituratione tantùm delectetur: non autem aratione. Quod vt intelligatur, sciendum est aliam fuisse Iudæis triturandi rationem, quàm nobis: vngulis enim boum in area circumactorum frumentum excutiebatur, qui labor iumentis gratus erat, cùm abundè interea pabulum suppeteret. Nam etiam in lege præceptum erat Deut.2.v.4.ne boui triturāti os obligaretur, ne pabulo fraudaretur inter triturandum.

Præterij.] Id est, peperci ei, eiusq; teneræ ceruici, ne iugum ei imponerem, aut arandi labore grauarem. Dei igitur erga populum clementia commendatur, & caussa lasciuiæ obiter notatur.

Itaq;.] Pœna est. Post hæc igitur, inquit, iugum ei imponam, vt deinceps non solùm trituret, sed etiam aret: id est, subijciam eos tandem potestati & dominatui peregrinorū regum & populorum.

Arabit Iuda.] Obiter Iudæ minatur quòd is tandem etiam in hostium potestatem vnà cum Israële, propter similia peccata redigendus sit.

Occabit Iacob.] Iuda & Iacob hîc pro eodem poni vidētur.

VERSVS XII.

(Dixi) *Seminate vobis iustitiā & metetis benedictionem, nouate vobis nouale, cùm tempus* (nunc) *sit inquirendi Iehouæ, donec veniat & mittat vobis iustitiam.*

MImesis est & breuis summa concionum Hoseę & collegarum eius, quibus populum ad mentem saniorē reuocare conati sunt.

Seminate.] Id est, operam date bonis & iustis operibus. In verbo autem *nouandi*, seu *arandi*, *seminandi* & *metendi* Metaphora est ex agricultura sumpta, & ex proximo versu re-

petita, vbi agrorum & agriculturæ mentio facta est.

Et metetis.] Id est, copiosam mercedem reportabitis, quam Deus ex mera sua misericordia vobis dabit: vide supra cap. 8. v. 7. Vide & Prouerbium, *Vt semẽtem feceris, ita metes.* Est enim hæc Metaphora etiam Græcis & Latinis vsitata.

Nouate.] Id est, arate. Estq; historologia. Aratio enim semẽtem præcedit. Noualis autẽ ager est qui aliquãdiu incultus fuit, ideoq; spinas & tribulos gignit, quę vt eradicentur ante semẽtem, opus est diligentiori cultura. Ideo & Ieremias quasi mutuo sumens hæc verba ab Hosea explicationẽ addit ca. 4. v. 3. cùm ait: Arate vobis aruum, seu nouate vobis nouale, & ne seminetis super spinas. Et versu quarto addit, quasi hoc versum interpretans: Circumcidete vos Iehouæ & præputia cordis vestri. Significat igitur *arare* seu *nouare*, spinas & noxias herbas exstirpare: id est, prauas animi opiniones & vitia expurgare & abijcere, vt locus sit veræ doctrinæ & morum bonorum sementi, quę in animis crescere & radices agere nequeunt, nisi prius falsæ opiniones & vitia exstirpentur.

Nam tempus est.] Idem proprijs verbis repetitur & additur admonitio, de pœnitentia maturanda, ne ex improuiso pœna eos obruat. Est enim certum tẽpus intra quod Deus placari & pœna ipsa pœnitentia & precibus auerti potest, quo tempore seu penso euoluto frustra pœnã deprecamur.

Inquirendi Iehouæ.] Id est, seriò & ex animo ad eum reuertendi abiectis idolis, falsis cultibus & malis moribus.

Donec ueniat.] Verba hæc opponuntur tentationi de mora & dilatione auxilij diuini.

Mittat uobis iust.] Alij vertunt: *Et doceat nos iustitiam.* Alij etiam: *Vt depluat nobis iustitiam*, idque ex homonymia verbi Hebraici יורה. Iustitia autem hoc loco pro misericordia ponitur, seu fauore diuino, qua Deus peccata remittit, & pœnas mitigat, & beneficia omnis generis in nos confert, quomodo & alibi accipitur: vt Daniel. 9. v. 16. Domine pro summa iustitia tua auertatur furor tuus & ira tua: & Psal. 36.

verſ.7.Iuſtitia tua ſicut montes Dei iudicia tua vorago multa, homines & animalia ſeruas Iehoua. Et v.11. Extende miſericordiam tuam ad cognoſcentes te, & iuſtitiam tuam ad rectos corde. Mittere igitur iuſtitiam, eſt miſericordia populum cōplecti, pœnas auertere aut mitigare, eumq́; in poſterum ſeruare & defendere.

In vocibus Hebraicis צֶדֶק & צְדָקָה Paronomaſia eſt & Antanaclaſis.

VERSVS XIII.

Sed araſtis impietatem, ideoq́; *iniquitatem metetis, & comedetis fructum mēdacij, quoniam confiſi eſtis viribus veſtris, & multitudini militū veſtrorum.*

SEd *araſtis*] Antitheſis eſt, oſtēdens Prophetarū cōciones & admonitiones omnes initas fuiſſe, populumq́; obſtinatè quaſi auribus occluſis in ſua malitia pergere. Perſiſtit autem in Metaphora. Eſtq́; vnum verbum pro duobus, pro poſtquam araſtis, ſeminaſtis impietatem.

Ideo.] Pœna eſt, & meſsis ſationi reſpōdens: iniquitas enim pro mercede & pœna iniquitatis: id eſt, calamitatibus Metonymiκῶς accipitur.

Comediſtis.] Eiuſdem ſententiæ repetitio. Eſtq́; Metaphora à panibus, qui ex frumento fiunt vt comedantur. Fructus autem mendacij dicitur, vel qui non ſaturat & famem explet, vel qui dignus ſit mendacio: id eſt, idololatria & fiducia præſidiorum humanorum: ea enim mēdacia ſunt quòd Deo irato iuuare nequeant.

Quoniam cōfiſi eſtis.] Rurſum ſpeciale peccatum accuſatur, nempè præpoſtera fiducia conſiliorum & præſidiorum humanorum, quodq́; ſuis conſilijs & viribus freti Dei minas & prophetarum admonitiones petulanter contemnerent.

VERSVS XIIII.

Propterea exiſtet tumultus in populo, & omnes muni-

tiones

tiones tuæ vastabuntur, sicut vastauit Salman Beth Arbel tempore belli, cùm mater super filios allisa est.

PRoptere a.] Fiduciæ inani & securitati populi opponitur iræ & potentiæ diuinæ effectus, nempè excidium & regni vastatio. Contra iram enim Dei nulla præsidia aut munitiones subsistere possunt. *Tumultus* autem hoc loco ponitur pro strepitu & fragore armorum & sonitu & fremitu hominum ad arma concurrentium & in bellum ruentium.

Sicut uastauit.] Collatione & exemplo historico rem auget. Etsi autem hoc exemplum in sacris literis non extet: tamen ea ætate & notum & celebre fuisse necesse est. Exempla enim nisi nota & familiaria adduci præsertim breuiter non solent, nec, vt Rhetores etiam pręcipiunt, debent. Hebræi quidam Salman positum esse pro Salmanassere putant, & Arbel nomen loci esse, cuius mentio fiat in Machabæorum lib. 1. cap. 9. v. 2. Quem locum Salmanassar horrenda clade vastarit & nobilitarit.

Cùm mater.] Id est, cùm tanta crudelitate hostis sæuiret, vt nulli sexui aut ætati parceret, sed sine discrimine mulieres & infantes trucidaret, & inter sese collideret, quod extremę crudelitatis & sæuitiæ in bellis esse solet, quomodo & dicitur Gen. 32. v. 11. Ne veniat frater meus & interficiat matrẽ cum liberis.

VERSVS XV.

Sic faciet vobis Bethel propter summam malitiam vestram, & diluculo extinguetur rex vester.

SIc faciet.] Apodosin comparationis seu exempli accommodationem repetit ad rem exaggerandam.

Bethel.] Vnam vrbẽ, & vrbis vnius ciues totius regni nomine compellat, quòd ibi idololatriæ præcipuum templum & arx esset, vt sæpè antè dictum est, & propter vocis

vtriusq;

vtriusq; Betharbel & Bothel similitudinẽ. Aliàs autem per contemptum eam vrbem Bethauen, vt sup. 5. v. & Auen sup. 8. v. vocare solet.

Propter summam.] Id est, idololatriam, quæ est summum scelus.

In Hebręo est *malitia malitiæ*, pro summa malitia: vide phrases substantiui.

Et diluculo.] Seu vt in Hebræo est, *in aurora*: id est, maturè, subitò, & ex improuiso.

Rex uester.] Rege enim sublato in bello, omnia desperata & deplorata esse solent: vide sup. v. 3.

Atq; hactenus Caput decimum fuit.

CAPVT VNDECIMVM.

VERSVS PRIMVS.

CVm puer Israël esset, dilexi eum, & ex Aegypto vocaui filium meum.



OMMEMORAT Deus singulare suum erga populum beneficium, vt maior populi ingratitudo appareat: nam quòd populum Israël ex seruitute Ægyptiaca ex mero amore liberarit, & sibi quasi filium adoptarit, summum erat beneficium.

Cùm puer esset.] Prophetæ infantiam & pueritiam populi Israël, id tempus appellare solent, quo adhuc in Ægypto agebat, quo tempore quasi puer & seruus erat: vide suprà cap. 2. v. 15.

Filium meum.] Id est, quem tam charum habui, tantumq; dilexi, ac si filius mihi fuisset, quomodo dicitur Ieremię 31. v. 9. Ero Israëli pater, & Ephraim primogenitus meus erit, & v. 20. Numquid filius pretiosus est mihi Ephraim, numquid

puer delectabilis. Et infrà cap.13.v.13. Ipse filius est non sapiens. Atq; hic sensus literalis est huius loci.

Matthęus autem cap.2.v.15. hunc locum ad Christum in Ægypto delitescentem, & inde reuocatum accõmodat. Liberatio enim & vocatio populi veteris Ecclesię & filij quasi Dei adoptiui ex Ægypto, typus fuit eius vocationis, qua ipse filius Dei naturalis, & populi veteris atque Ecclesię totius caput & dux, inde euocatus est. Quæ enim typicè præcesserunt in alijs, vt in hunc locum ait Hieronymus, iuxta veritatem & impletionem referenda sunt ad Christum tanquam ad caput.

VERSUS II.

Quò magis vocãtur, eò magis è conspectu abeunt, Baalim sacrificant, & sculptilibus suffitum accẽdunt.

QVerela est de populi contumacia & ingratitudine. Quò, inquit, magis Prophetæ populum admonent, vt Deo redẽptori suo soli seruiat, eò magis Deum & Prophetas ipsi contemnunt, & ad idola se conferunt.

Quò magis.] In Hebræo oratio Elliptica est, hoc modo, *uocarunt eos, sic ab erunt à facie eorum.* Quorum verborum sensum iam expressimus: hic autem versus repetitione verbi vocandi præcedenti versui annectitur.

Abeunt.] Gestu corporis, animi peruicacia, & verbi atque ministerij contemptus exprimitur.

VERSUS III.

Ego autem brachia Ephraimi apprehendi, & eum ambulare docui: sed non agnoscit quòd sanauerim eum.

EGo autem.] Pergit in commemoratione suorum erga populum beneficiorum, quam similitudine matris aut nutricis, quæ puerum primùm incedere docet, aut in vlnis gestat, amplificat. Significatur igitur hac collatione ingens

ingens populi imbecillitas, & magna econtrà Dei erga populum clementia & indulgentia, qui imbecillitatem eius, patientissimè tollerarit, non aliter atque nutrix infantes tollerare solet.

Brachia apprehendi.] In Hebræo est verbum tertiæ personæ pro prima: vel subaudiri potest Moses. Potest & sensus esse: *Gestaui populum in ulnis meis*, quomodo dicitur de Deo Exod. 19. v. 4. & Deut. 22. v. 11. Et de Mose dicitur Num. 11. v. 12.

Sed non.] Ingratitudo populi est.

Quod sanauerim.] .i. & liberauerim ex seruitute Ægyptiaca & integros atq; incolumes diu conseruarim: vide Deut. 8. Vt igitur suprà Deus se patri, matri & nutrici comparauit, ita hîc Medico comparat.

VERSVS IIII.

Funibus hominum traxi eos, vinculis inquam dilectionis, & fui eis quasi qui alleuat iugum iumentorum maxillis eorum impositum, & illis pabulum apposui.

PErgit in eodem beneficio suo erga populum exponendo Deus: quod collatione exprimit. Vt enim suprà se patri, matri, nutrici & Medico, populum autem filio, infanti, & ægroto comparauit: ita hîc iam populum iumēto seu boui, se autem Pastori aut agricolæ placidè & leniter iumentum tractanti comparat.

Funibus hominis.] Id est, funibus humanis, quibus homines boues ipsos placidè & quietè ducere solent. Alludere enim videtur ad consuetudinem, qua boues funibus ad cornua religatis duci solent. Et sic Esaiæ cap. 8. v. 4. Genitiuus *hominis* poni videtur, cùm dicitur: *Scribe stylo hominis*: id est, quo homines scribere solent.

Vinculis, inquam, dilectionis.] Metaphoræ interpretatio est, qua, quid funes vocet, exponit, nempè beneficia diuina ex amore Dei profecta, quibus eos ex Ægypto elicere, & ad se amādum excitare studuit Deus, & summam humanitatem

& clemētiam qua ex Ægypto egressos per desertum deduxit ipse & comes, & dux.

Quasi qui.] Altera pars similitudinis ab agricola sumpta, qui ne iugum boum aranti nimis graue sit, aut collum aut pectus ei lędat, illud manu interdum alleuat.

Maxillis.] Vicinam partem pro vicina posuit, nempe pro collo & pectore.

Et pabulum ipsis apposui.] Pabuli mētione ad mannam respicere videtur: vide Exod. 16.

VERSVS V.

Non reuertetur in terram Aegypti, sed Assyrius erit rex eius, quoniam noluerunt reuerti (ad me.)

TRibus sequentibus versibus ingratitudinem populi accusat, & simul pœnam ingratitudinis minatur, nempe regni excidium, & populi exilium.

Non reuertetur.] Exilium & captiuitas exprimitur, & locus captiuitatis disertè nominatur, nempè non Ægyptus, sed Assyria. Videtur autem Deus noluisse populum in Ægyptū captiuum redire, vt eius redemptionis gloriam sibi integrā seruaret. Simulq; hîc significatur cupere quidem Israëlitas in Ægyptum redire, quòd reges Aegyptios, tum amicos & confœderatos haberent, vt suprà aliquoties diximus.

Quoniam noluerunt.] Peccatum est. Noluerunt, inquit, ab idolis & aliis suis peccatis ad me syncerè colendum redire, itaq; reuertentur, sed nō in Ægyptum: in Assyriam enim abducendi sunt.

In vocibus Hebraicis יָשׁוּב & לָשׁוּב Paronomasia est.

VERSVS VI.

Itaq; grassabitur gladius in vrbibus eius, atq; consumet & deuorabit vectes eius, idq; propter consilia ipsius.

ITaq;.] Pœna est. In Hebræo autem vox בַּדָּיו ambigua est. Significat enim propriè ramos, vnde translata etiā membra & vectes designat: nam vt rami ex trunco prodeunt,

ita membra & vectes portarum munimenta & alia præsidia & munitiones intelligi possunt.

Consilia.] Consilium vocat idololatriam & fiduciam propriæ sapientiæ & præsidiorum humanorum.

VERSVS VII.

Populus autem meus suspensus erit, (animo) *propter auersionem à me: & quoniam ad excelsum inuitarunt eũ* (Prophetæ) *nemo tamẽ exaltarit,* Deum.

P*opulus autem.*] Pœna est exilio adiuncta, nempe timor perpetuus. Populus, inquit, in perpetuo metu erit, semper sibi timebit, neq; vnquam animo securo in exilio erit. Videtur enim Propheta hîc alludere ad locum Mosis Deut. 28. v. 66. Et erit vita tua suspensa è regione tibi, & pauebis nocte & die, neq; credes vitæ tuæ: manè dices, quis dabit vesperam: & vespera dices, quis dabit manè præ pauore cordis tui, *&c.*

Propter auersionem.] Peccatum est, nempe verbi & admonitionum Propheticarum contemptus. Vox enim Hebraica & auersionem & rebellionem significat, & opponitur conuersioni ad Deum.

Ad excelsum.] Id est, Deum altissimum: vide sup. cap. 7. v. 16. Reuertuntur, sed non ad excelsum.

Nemo exaltat.] Hoc membrum variè verti potest.

Vel: *nemo exaltat*, scilicet Deum laudibus.

Vel: *nemo exaltat seu attollit*, scilicet caput aut aures, vt Prophetis obtemperet.

Vel: *nemo exaltat*: id est, oculos & animos in altum ad verũ Deum attollit.

Vel: *nemo exaltat seu attollit*, scilicet sese, vt voce & admonitione Prophetarum moueatur. In verbo autem *exaltandi*, allusio est, ad vocem præcedentem *excelsum*, qua Deum expressit.

VERSVS VIII.

Quomodo dabo te Ephraim? tradam te, ô Israël: an dabo te sicut Adamam ponam te sicut Zeboim? cōuersum est in me cor meū, pariter accēsæ sunt commiserationes meæ.

HActenus prior pars concionis quintæ inde vsque à versu quarto capitis sexti fuit, nempe legis concio, peccati accusatio, & pœnarum comminatio multis & varijs ornamentis & argumentis amplificata. Sequitur nunc pars altera, nempe concio gratiæ, & cōsolatio ad pœnitentiam inuitans.

Quomodo.] Prior pars versus peccata & populi pœnas exaggerat, vt magis amplitudo bonitatis & misericordiæ diuinæ conspiciatur. Estq; oratio figurata interrogatione & deliberatione, seu communicatione & collatione, qua significatur Israëlitas non minus atrociter deliquisse, quàm Sodomam & Gomorham, ac proinde non minoribus pœnis dignos esse.

Collatio autem hæc ex Deut. sumpta est, cap.29.v.23. Vt paulò pòst dicam, & passim à Prophetis vsurpatur: vt Esaiæ 1.v.9. & 10. & cap.13.v.19. Et Ieremiæ 23.v.19. Ezechiel.16.v.46. & Amos 4.v.11.

Sicut Adama.] Adama & Zeboim vrbes erāt, quas vnà cum Sodoma & Gomorha Dei vindicta absumpsit. De qua historia legatur Moses lib.1.cap.9. Et Strabo libro 16. in descriptione Iudææ. Et hæ duæ ciuitates nominatim in Deut. cap.29. exprimūtur, cùm dicitur: nam sulphur & sal & combustio totū solium eius, non feretis neq; germinabit, neq; crescet in ea herba vlla, vt in subuersione Sodomæ & Gomorhæ, Adama & Zeboim, quas subuertit Iehoua in furore suo & in ira sua.

Conuersum est.] Consolatio ipsa est. Digni quidem eratis quos perderem vt Sodomitas, idque facere constitui, sed si pœni-

pœnitentiam egeritis, etiam ego consilium mutabo, & parcam vobis, mitiusq; vobiscum agam.

Cor meum.] Cor pro consilio Metonymικῶς ponitur. Loquitur autē Scriptura humano more de Deo, & rebus alijs.

Accensæ.] In Hebræo verbum est כָּמַר vnde & sacerdotes Baalitici כְּמָרִים dicti sunt, suprà cap. 10. v. 5. Hac autem oratione vehemēs misericordia & commiseratio exprimitur.

VERSVS IX.

Non faciam furorē iræ meæ, non conuertar eò vt perdam Ephraim: quoniam Deus ego sum, & non homo, in medio tui sanctus, & non ingrediar vrbem.

PErgit in consolatione & affirmat se nolle pro merito cum ipsis agere, si pœnitentiam egerint: *furor* autem *iræ* ingentem iram significat. Vide phrases substantiuorum. *Effundere* enim *furorem iræ*, est indignationis habenas laxare, & grauissimè in aliquem animaduertere.

Non conuertar.] Repetitio eiusdem sententiæ. Verbum autem Hebraicum *reuertendi*, aut redundat: vt sit sensus: *non perdam Ephraim*: aut conuertendum est, ut nos vertimus.

Quoniam Deus.] Ratio est à Dei natura per collationē: Homines, inquit, offensi implacabiles esse solent, sed Deus cōtrà mitis, clemens, facilis & placabilis est, qui magis salute quàm interitu delectetur. Simile argumentum est apud Esaiam ca. 55. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas: reuertaturq; ad Iehouam & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus ad remittendum: non enim cogitationes meæ sunt, vt cogitationes vestræ, nec viæ vestræ, viæ meæ sunt, dixit Iehoua.

In medio tui.] Scilicet habitās. Altera ratio à peculiari promissione & fœdere cum hoc populo, sumpta, quo se huic populo obstrinxit Deus, eiq; se affuturum semper promisit: q. d. Ideo à te coli volui, & inter te templum meum elegi, vt te tuear & defendam, potius quàm perdam, idq; me facturū promisi.

promiſi. Sic dicitur Deut. 19. v. 44. Habitabo in medio filiorum Iſraël, & ero ipſis Deus, & ſcient quod ſum Iehoua Deus eorum. & Pſal. 46. v. 6. Deus in medio eius: non commouebitur, adiuuabit eum Deus mané. Phraſis igitur hæc tutelę & defenſionis promiſſæ ſignificationem habet.

Sanctus.] Epitheton eſt pro ſubiecto ipſo, nempe Deo, vt Eſaiæ 1. v. 4. Dereliquerunt Iehouam, irritauerunt ſanctum Iſraëlis. & 43. v. 15. Ego ſum Iehoua ſanctus veſter: id eſt, Deus veſter. plena oratio eſſet: *Ego ſum ſanctus*: id eſt, Deus qui in medio veſtri habitem, ſcilicet, vt vos defendam.

Non ingrediar urbem.] Scilicet vt hoſtis, qui omnia ferro & flamma vaſtet. Hæc enim phraſis hoc loco in malam partē accipi videtur, ſimulq́; ſtudium & conatum includit, *non ingrediar*: id eſt, non ſtudeo, non conor hoc regnum delere. Cùm enim ſemel domicilium inter vos collocauerim, & vos in fidem meam atque tutelam receperim: haud temerè ipſe vos quaſi hoſtis adoriar & perdam, ſed potius vos ſeruabo, ſi morem mihi geſſeritis. Sic Eſaiæ 19. v. 1. dicitur: Iehoua ingredietur Aegyptum, & mouebunt ſe ſimulacra Aegypti à facie eius, & cor Agypti liquefiet in medio eius. Phraſis igitur de ingreſſu hoſtili accipienda hoc loco eſt, & vrbs pro toto regno Synecdochiκῶς.

VERSVS X.

Poſt Iehouam ambulabunt qui veluti Leo rugiet, cùm rugiet pauebunt filij amari.

VERSVS XI.

Pauebunt vt aues ex Aegypto, & vt columba ex terra Aſſyriæ: & collocabo eos in domibus ſuis, ait Iehoua.

ALtera pars conſolationis, qua promittit Deus, ſe ſuis etiam in exilio, ſi eò abducti fuerint, affuturum, ſi ibi ſaltem pœnitentiam egerint, eosq́; vbicunque exularint in patriam reducturum.

Verùm

Verùm cùm hæc liberatio corporalis nunquam facta sit, ſub corporali magis ſpiritualis liberatio promitti & intelligi debet, qua & Iſraëlitæ & alij populi ad ſocietatem Eccleſiæ tempore Chriſti vocati ſunt.

Poſt Iehouam.] Scilicet vt ducem.

Ambulabunt.] Scilicet Iſraêlitæ liberati, qui iam in patriam deducuntur.

Veluti leo.] Potentiam ducis Chriſti ſimilitudine leonis exprimit: vide ſup. ca. 5. v. 14. & Amos 3. v. 8. dicitur, Leo rugiet, quis non timebit?

Pauebunt.] Hęc verba duplicem ſenſum recipiũt, vel enim de hoſtibus Eccleſiæ, quibus dux populi, quaſi leo rugiens terrorem incutiat, intelligi poſſunt: atq; tunc verbum Hebraicum חרד propriè accipitur vt vertimus. Vel etiam de ciuibus Eccleſiæ, qui ad clamorem ducis celeriter concurrũt, & ad ducem ſuum ſe cõferunt, ac tum verbum Hebraicum properare: per *properare* ſeu *feſtinare*, ſeu *celeriter fugere* vertendum eſt, vt ſuprà cap. 3. v. 5. accipi videbatur.

Filij amari.] qui in occidente habitant ſeu exulant. Mare enim Hebræis pro occidente accipitur.

Vt aues.] Simile, quo fugæ celeritatem exprimere videtur, vt aues, inquit, territæ, celerrimè volant: ita illi audita voce Meſsiæ celerrimè aduolabunt ex Ægypto.

Ex Aegypto.] Per *Aegyptum* plagam meridionalem: per *Aſſyriam* autem ſeptentrionalem & orientalem intelligit. Significat igitur futurũ, vt ex omnibus mundi plagis Iſraëlitæ exules in ſuam patriam: id eſt, populi omnes ad Eccleſiam excitentur & colligantur. Vnde & Eſaiæ 49. v. 12. dicitur: Ecce iſti à longinquo venient, ecce illi ab occidẽte: alij verò à terra Sinim.

Collocabo.] Scilicet in patriam reſtitutos aut ad Eccleſiam collectos.

CAPVT DVODECIMVM.

VERSVS PRIMVS.

CIrcumdant me mẽdacio Ephraim, & domus Iſraël: Iuda autem adhuc dominatur cum Deo, & cum ſanctis fidelis eſt.



SEQVITVR iam concio ſexta, in qua primùm accuſatio eſt, & peccatorum comminatio. In hoc autem verſu idololatriæ accuſatio eſt, idq́; per collationem. Iudæos enim in puritate cultus Iſraëlitis præfert, vt ſuos auditores magis vrat: non autem propterea Iudæos planè iuſtificat. Erat enim & maxima pars populi Iudaici idololatria polluta, nõ minus quàm populus Iſraël, vt & antè ſæpè patuit, & mox ver.3. patebit. Sed loquitur de publica doctrinæ & miniſterij forma, idq́; reſpectu regni Iſraël.

Mendacio.] Mendacium & dolum appellat idololatriam ipſam, & veræ doctrinæ corruptelas omnes & fucum atq; colorem, quibus ſuperſtitiones & impia dogmata pingebant ſacerdotes, & ita populo obtrudebant.

Dominatur.] Collatio eſt. Dominari autem cum Deo, ſignificat ita imperare, vt retineat cultum à Deo præſcriptum ſaltem publicé.

Cum ſanctis.] Id eſt, Deo ſancto: vide v.9. capitis præcedentis. Eſt autem pluralis numerus, propterea quòd ad vocem אלהים referatur: vt Ioſuæ 29. v.20. אֱלֹהִים: id eſt, Dij ſancti ipſe eſt. Vide regulam quintam in Syntaxi Ceualerij. Vel cum ſanctis: id eſt, Patriarchis, qui puram religionem coluerunt, & ad extremum vſque retinuerunt.

VERSVS II.

Ephraim paſcit ventum & perſequitur Eurum: quotidie mendacium & vaſtitatem cumulat: fœdus

namq; cum Aſſyrijs feriunt, & oleum in Aegyptum portant.

REprehendit & ridet fiduciam humanorum præſidiorum: vide ſup. 7. 11. & 8. 9.

Paſcit uentum.] Phraſis eſt Metaphorica, & prouerbialis, de re nihil profutura, ſed etiam pernitioſa. Quod enim de ſpe, & conatus fruſtratione & pernitie hæc intelligenda ſint, docent ſequentia.

Eurum.] Eurus in Iudæa noxius erat, quòd maximè omnia ſiccitate adurent, & violentius ſpiraret.

Mendacium.] Sic appellat præſidia humana, quæ Iſraëlitis tandem imponerent, & exitium & vaſtitatem.

Oleum.] Scilicet vt munus quo regum amicitiam redimerent. Narrat autem Ezechiel cap. 27. v. 17. Iudęos ad exteros exportaſſe triticum, mel, reſinam, & oleum. Cùm autem Aegyptus regio plana eſſet, tritici quidē & mellis copiam habere potuit: olei verò minimè, quia oliuæ colles amant: fuit itaq; oleum Aegyptijs gratum munus. Per oleum non tantùm commune oleum, ſed etiam *oleum* balſamum intelligi videtur, quod pretioſum erat, & in ſola Iudæa naſcebatur. Vide Eſaiæ 57. v. 9. & Plinium lib. 12. ca. 25. & Strab. lib. 16. in deſcriptione Iudææ.

VERSVS III.

Deceptatio quoq; Iehouæ eſt cum Iuda, & animaduertet in Iacob, ſecundum vias eius, & ſecūdum opera eius rependet ei.

PEccata accuſauit, nunc pœnas comminatur, non tantùm Iſraëlis, ſed etiam Iudæ, ne ſe propterea extra omnem culpam putet, quòd antea eum Iſraëli prætulerit, & vt eò magis auditores ſuos percellat, cùm audiant etiam Iudæis pœnas imminere, quorum tamen religio purior eſſet. Neque enim Propheta ſecum pugnat dum hîc Iudæos accuſat, quos antea laudauit: ſuprà enim cultum

tantùm publicum Iudæorum, cultui Israëlitarum prætulit, & corruptelis opponebat: nũc autem qualis per se esset, cõsiderat & reprehendit. Magna enim pars populi Iudaici idololatria contaminata erat. Notandum igitur est diligenter, ea interdum quę simpliciter dicuntur, comparatiuè ex parte accipienda esse.

Cum Iuda.] Sensus est: *Deus etiam Iudam suo tempore puniet, quanto magis puniet Israëlitas, qui Iuda multò sũt impuriores, & sceleratiores.*

VERSVS IIII.

In vtero calcaneo apprehendit fratrem suum: & viribus suis Deum superauit.

PRopheta Israëlitas vt ingratos erga Deum & degeneres, parùm patris sui Iacobi similes accusat. Estq; quasi correctio: cùm enim proximo versu patris Iacobi nomine eos appellarit, eoq; nomine etiam ipsi gauderent, & gloriarentur, nunc eos minimè patris nomine dignos affirmat, cùm eius minimè sint similes, quod vt ostendat, quædam ex historia Iacobi repetit, quibus & Dei erga ipsum beneficia, & ipsius contrà, pietatem & religionem erga Deum declaret.

In utero.] Primùm igitur ex historia Iacobi hoc repetit, quòd Iacob post fratrem Esau in lucem æditus, *calcaneum* eius manu tenuerit, quo significabatur, Iacobũ Dominum tandem fratris sui futurum, ex eiusq; posteris Ecclesiã colligendam & Messiam nasciturum, & simul quasi quidam in Iacobo conatus exprimebatur, quo iam in vtero hęres promissionis de semine benedicto fieri conaretur: vt enim regnum & sacerdotium, ita processio ordinariè ad primogenitos pertinebat: vide historiam Gen. 27. v. 25.

Et uiribus.] Hoc alterum est ex historia Iacobi petitum, quòd videlicet ætate prouecta, cũ Deo seu angelo luctatus sit, & vi quasi benedictionẽ ei extorserit, vt rursum de promissione certior fieret, & aduersus vim fratris sui Esau iam immi-

imminentis confirmaretur, quo rursum & Dei erga Iacobũ fauor & gratia, & Iacobi benedictione & promissione obtinenda studium exprimitur: vide historiam Gen.32.v.26.

Viribus.] Scilicet quas Deus ipsi concessit, quibusq; se vinci passus est.

VERSUS V.

Et superauit angelum & victor fuit, fleuit & rogauit eum: in Bethel inuenit eum, & ibi nobiscum loquutus est.

ET *super.*] Repetit posterius membrum præcedentis versus, ad beneficij diuini & studij Iacobi amplificationẽ. Est autem in his verbis obscuritas quædam ex Ellipsi nominum substantiuorum seu subiectorum seu suppositorum nata. Dubium enim videri potest, an Iacob, an angelus in verbis quibusdam subintelligendus sit.

Fleuit.] Alij hoc ad angelũ referunt, qui quasi flendo suppliciter rogauit Iacobum, vt se dimitteret. Alij ad Iacobum quasi is flendo rogarit angelum, vt sibi benediceret.

Simul autem hîc notandum est, non omnia quæ gesta olim sunt in historia Mosis, prorsus expressa esse. In Genesi enim de fletu angeli aut Iacobi nihil legitur, cuius hîc mentionem facit Hoseas. Et sic Gen. 19. Adma & Zeboim in historia Sodomæ non exprimuntur, quæ postea Deut.29. & capite proximo, v.8. expressæ sunt. Siue quòd olim alia etiam vetustatis monumenta extiterint, siue quòd historiæ memoria hominum sint conseruatę, siue quòd quędam prę-teritorum Prophetis diuinitùs sint reuelata. Quod autem alia etiam monunenta quàm Mosis extiterint, ex ipso Mose, & reliqua Scriptura patet. Num enim cap.21. v.14. Liber bellorum Iehouæ nominatur: & Iosuæ 10. v.13. & 2. Samuelis cap. v.18. liber Iustorum: & res gestæ Dauidis à Nathane & Gad descriptæ dicuntur. 1. Paralip.cap.29.v.29. & liber actorum Solomonis nominatur, 1. Reg.11.v.41. historia etiã Salomonis à Nathan Propheta, Ahia Silonita, & Iaddo vi-

dente seorsum descripta fuisse, dicitur, 2.Paralip.ca.9.v.29. Eiusdem etiam parabolarum tria millia, & cãtica quinq; & mille, & disputationes physicæ, de plantis, arboribus, & animalibus extabant, 1.Reg.4.v.32. Atq; eodem modo quędam ab Apostolis narrantur, quę in historia ab Euangelistis scripta non reperiuntur. Vt etiã in decretalibus lib.3.titulo 71. notatũ est. Cuiusmodi sunt, id quod Paulus à Christo dictum affirmat, beatum esse dare magis, quàm accipere. Act.20.v.35. Deinde apparitio Christi, qua quingentis fratribus simul apparuit, 1.Corinth.15.

In Bethel inuenit eum.] Tertium est quod ex historia Iacobi, quod Deus in Bethel fœdus cum Iacobo renouârit, quodq; Iacob Deo se totum commiserit, eumq; solum idolis abiectis studiosè coluerit: vide Gen. cap.35.

Loquutus est nobiscum.] Id est, cũ Iacobo: ita tamen vt id colloquium ad totam Iacobi posteritatem & nos etiam pertineat: vnde Moses lib.5.cap.29. Fœdus, inquit, ferio non vobiscum tantùm, sed etiam cum posteris vestris.

VERSVS VI.

Iehoua autem est Deus exercituum: Iehoua nomen eius.

DEum verum nomine exprimit, qui Iacobum tãtis viribus instruxit, defendit, & multis beneficijs cumulauit, & quem vicissim Iacob syncerè coluit abiectis idolis.

Subest autem Antithesis quòd Israëlitæ, & in Deum, qui patres ipsorum, eosque sibi elegisset, ingratissimi sint, & quòd patris sui Iacob minimè sint similes, dũ spreto vero Deo Iehoua, idola colant.

Iehoua autem.] Nomẽ Dei peculiare & proprium est, ab essentia seu substãtia factũ, quòd Deus solus sua virtute subsistat. Creaturæ autem omnes, virtute & beneficio Creatoris Dei: vide Exod.cap.3.v.15.

Deus exercituum.] Id est, Deus omnipotens ad seruandum

&

& perdendum potentissimus. Ad vtrumque enim viribus instructissimus est. Deus igitur exercituum dicitur, & ad pios confirmandos, & ad impios terrendos.

Ex his autem versibus apparet filium Dei, & olim patribus apparuisse, & verum Deum esse. Idem enim & angelus dicitur, quòd ad Ecclesiam olim mitteretur, & patribus appareret, humana interdum specie, & idem Iehoua dicitur: id est, qui natura Deus sit.

VERSVS VII.

Tu ergò ad Deum tuum reuertere, misericordiam & iustitiam custodi, & fide Deo tuo semper.

EX contextu officij potius descriptio, quàm exhortatio esse videtur ex versibus præcedentibus illata: q.d. ad Iehouam igitur verum Deum, qui te & patres tuos elegit, & quem Iacob & reliqui patres tui coluêre, tibi reuertendum erat abiectis idolis.

Additur autem veræ pœnitentiæ & cultus diuini, veriq; descriptio, nempè quòd Deus fide & charitatis erga proximum officijs colendus sit, potius quàm victimis, aut externis ceremonijs.

Tu.] Scilicet, ô Israël, qui Iacobi nomine gaudes.

Reuertere.] Scilicet exemplo Iacobi patris tui. In Hebræo autem est verbum futuri, quod per debeo & aliàs exponitur, & hoc loco exponendum esse videtur, vt sit, *reuerteris*: id est, reuerti deberes, vide phrases Hebraicas. In reliquis autem duobus verbis Imperatiuus pro futuro esse potest, eodem modo accepto, *custodies* & *fidas*: id est, custodire & fidere debes.

Misericordiam & iustitiam.] his verbis omnia opera secundæ tabulæ legis comprehenduntur.

Et fide Deo.] His verbis opera primæ tabulæ exprimuntur.

VERSVS VIII.

Mercator est Ephraim: in manu eius est statera dolosa, fraudare alios amat.

NVnc Antithesis exprimitur, & quid contra officium, contra admonitiones propheticas: & exemplum patrum faciant, ostendit Propheta, & de eo cōqueritur. Cōparat igitur Israëlitas mercatoribus, qui propter imposturas in negotiationibus vulgo malè audiant, eosq; similes negociatoribus in religione adulteranda & pœnitentia fingenda esse docet: iniquis enim ponderibus & mensuris mercatores vti solent, & alijs imponere.

Fraudare.] Scilicet mercibus adulteratis, vsuris, & infami lucro alios circumscribunt & exhauriunt.

Etsi autem collatio in hoc versu est: tamen simul etiam fraus & imposturæ mercatorum hoc versu damnantur.

VERSVS IX.

Et ait Ephraim vtiq; ditatus sum paraui mihi opes, in nullis actionibus meis inuenietur iniquitas aut peccatum.

QVerela Prophetę est de securitate & hypocrisi Israëlitarum, simulq; cogitationes & argumenta Israëlitarum exponit, quibus se suaq; peccata defenderent, sibique ipsis imponerent: q.d. Ephraim ita secum cogitare & dicere solet, omnia mihi ex sententia succedunt, sum in re lauta, sum viribus & potentia instructus, ergo rectè *Deū* colo, nec ita grauiter pecco sicut Prophetæ vociferantur. Atque hoc argumento Turcæ etiam hodie & aliæ Gentes profanæ pro se, & religione sua tuenda vtuntur, eodemq; modo omnes hypocritæ in rebus secundis sibi blādiuntur.

Potest & esse querela de fiducia humanorum pręsidiorū, vt sit sensus: *Israël fretus opibus & potentia, existimat minimè futurum ut ijs unquam exuatur aut spolietur,* quomodo Niobe Ouid. de se ait, cum inquit:

Sum maior quàm cui possit fortuna nocere.

Ac tum iniquitas & peccatum, pro pœna iniquitatis & peccati hìc accipienda sunt, vt aliàs etiam fieri solet.

Ditatus sum.] Quia de mercatore loquutus est, per collationem,

tionem, ea occaſione adhuc verſum peruenit, & opes pro omnibus præſidijs humanis ponit.

Opes.] In Hebręo vox eſt, quæ hoc tãtùm loco hac ſignificatione ponitur, vt ſit אוֹן pro הוֹן: ſup.v.4. pro robore fuit, quo modo ſi hîc etiam accipiatur, eodem ſenſus redit: *Inſtructus ſum opibus & uiribus: ego ſum innocens*, vel, *perire nequeo.*

VERSVS X.

Ego autem ſum Dominus Deus tuus è terra Aegypti, (qui) adhuc efficiam vt habites in tabernaculis, ſicut diebus conſtituti temporis.

VErus Deus falſis opponitur, & peccato pœna ſubiungitur.

E terra Aegypti.] Qui ſcilicet ſingulari hoc redemptionis beneficio, me tuum Deum eſſe oſtendi, teq́; redemi, vt me ſolùm ſine idolis coleres.

Adhuc efficiam.] Pœnæ & exilij denunciatio eſt aduerſus ingratos & immemores idololatras.

In tabernaculis.] Id eſt, in priſtinam ſeruitutem vos retrahã, vosq́; ex domibus veſtris magnificè exſtructis eijciam, vt peregrinantium more in tabernaculis agatis: vide ſuprà capite 2.v.14.

Sicut diebus.] Tempus videtur ſignificari annorum quadraginta, quòd Deus Iſraëlitarum contumaciæ domandę conſtituit & præfixit, quo illi interim vt exules in deſerto vagabantur, & in tabernaculis habitabant.

VERSVS XI.

Loquutus ſum per prophetas, & viſiones multiplicaui: & miniſterio Prophetarum ſimilitudines propoſui.

STudium ſuum in ſanãdo populo & ad frugem reuocando, & contra populi contumaciam & ingratitudinem, qui tantùm beneficium contempſerit, exponit Deus.

Affirmat enim se hoc sedulò per Prophetas agere, vt eos in viam reuocet. Vnde nobis ministerij dignitas commendatur, vt quod salutis nostræ organon sit: & simul verbi contemptus reprehenditur.

Visiones multiplicaui.] Id est, multis & crebris multorũ Prophetarum concionibus eos admonui, & admoneo quotidie officij. *Visio* enim in genere cùm alibi, tum hoc loco concionem propheticam significat.

Similitudines proposui.] Eiusdẽ sententiæ repetitio est. Phrasis autem ex prophetica docendi ratione sumpta esse videtur. Illi enim Prophetæ non tantùm simplici oratione populum docebant & admonebant, sed etiam similitudines, imagines, typos, allegorias, & omnis generis argumenta & ornamenta adhibere solebant: vt ita doctrinam quasi ad viuum depictam, crasso, stupido, & peruicaci populo oculis spectandam proponerent. Atque ita orationem & docendi genus ad captum suorum auditorum, quod prudentiæ est, Prophetæ accommodarunt. Hoc ergo obiter contra eos qui orationem propheticã, vt rudem & impolitam esse arbitrantur, obseruandum est. De quo plura in argumento, cùm de oratione prophetica ageremus, diximus.

VERSVS XII.

An in Giliad est iniquitas? Certè vanitas sunt: In Gilgal boues immolant etiam altaria (cumulant) vt aceruos in sulcis agrorum.

POpuli idololatria contra Propheticas admonitiones instituta & frequentata taxatur.

In Giliad.] Synecdochiκῶς pro toto regno Israëlitico pars poni videtur: vide sup. cap. 6. v. 8.

Vanitas.] Vani: id est, flagitijs & sceleribus, & inprimis idololatria polluti. Est autem Enallage. Vide phrases substantiuorum.

In Gilgal.] Videntur Gileaditæ soliti esse in Gilgal proficisci,

cisci, vt ibi Deo sacra facerent: idq; regum Israëlitarum mandato atque instituto, ne si in sua regione, quæ vltra Iordanẽ sita erat, templum haberent, & ad sacra facienda conuenirent, facilè à regibus suis deficerent: vide sup. cap. 4. v. 15. & cap. 9. v. 15.

Vt aceruos.] Scilicet lapidum, qui in solo lapidoso, ex agris ab agricolis colligi solent, ac temerè in aceruos congeri. Per *aceruos* igitur altaria innumera & infinita intelliguntur.

VERSVS XIII.

Et fugit Iacob in regionem Syriæ, & seruiuit Israël pro vxore, & pro vxore custodiuit (gregem.)

IAcobi à quo proximè originem duxerunt Israëlitæ humilitas, inopia, & miseria, à Propheta populo inculcatur. Vt ita superbiæ prætextum ipsis adimat Propheta, & eos modestiæ admoneat, & gratitudinis erga Deum, qui eos tam tenui & obscura origine ortos, tãta dignitate & gloria cumulârit & ornârit. Illi quidẽ de nobilitate & excellentia Iacobi tantoperè se iactarunt, vt reliquas omnes gentes præ se contemnerent, & Deum ipsum ita sibi obstrictum habere putarẽt, ne ipsos vnquam abdicare aut reijcere posset: Contrà igitur affirmat Propheta Iacobum patrem ipsorum, hominem miserum, contemptum & ęrumnosum fuisse, qui carnaliter nihil ab alijs differret, sed multis alijs inferior & miserior esset, ac proinde non esse quòd eum Deo quasi opponerent, qui ex mera gratia & patrem Iacobum, & filios Israëlitas adoptasset, quiq; facillimè cùm velit rursum abdicare possit, & cùm merentur omnino etiam velit.

Vt igitur suprà v. 5. & 6. Iacobi fides & pietas populo ad imitandum proposita est: ita hîc eiusdem humilitas proponitur, vt inde & sese, & Dei erga se beneficium discant. Cõmemorat autem Propheta tria humilitatis & miseriæ Iacobi genera seu argumenta, vnde reliqua omnia intelligi facilè possunt.

Fugit Iacob.] Prima humilitatis species, & argumentum, fuga & exilium, cuius rei historia legatur Gen. 27. & 28. cap. Capite autem 32. dicitur, quòd nihil præter baculum è domo paterna secum asportarit, cùm in Syriam transfugeret.

Et seruiuit Israël.] Altera miseriæ species, nempe seruitus apud Labanum auunculum, idq; pro vxore, quæ aliàs liberaliter dari solet.

Israël.] Alterũ Iacobi nomen est, de quo vide Gen. 35. v. 10.

Custodiuit.] Scilicet Gregem auunculi. Estq; tertia miseriæ & humilitatis species: vide cap. 29. Gen.

VERSVS XIIII.

Sed per Prophetã eduxit Iehoua Israëlem ex Aegypto: & per Prophetam custoditus est.

HVmilitati carnali & humili Israëlitarum origini Dei peculiare beneficiũ opponitur, quo libertas & dignitas vera, populo conciliata est: nempè gratia & misericordia diuina, & ex ea profecta, miraculosa ex Ægypto liberatio & redemptio per Mosen Prophetam seruum Dei. Vnde meritò soli Deo omnẽ libertatem & dignitatẽ suam soli Deo acceptam referre populus debuit, eumq; proinde solum sine alijs Dijs & idolis colere.

Per Prophetam.] Id est, per Mosen κατ' ἐξοχήν.

Custoditus.] Scilicet Israël. Alludit autem ad versum proximum: q. d. Iacob miser seruus, pastor & custos pecudum erat in Syria, verùm posteri eius per Mosen quasi per pastorem diuinitùs excitatum, & ad eos missum ex Ægypto educti, & in deserto quasi pecudes custoditi sunt.

VERSVS XV.

Sed irritauit Ephraim Dominum suum idolis, ideoq́; grauißimè eum puniet, & vt dignus est, remunerabitur.

I*Rritauit.*] Querela est de peccato idololatriæ, & summa populi ingratitudine, pro summo Dei beneficio.

Domi-

Dominum suum.] In Hebræo hoc verba hoc loco non sunt, sed ex fine versus sumuntur: vide Ellipsis antecedentis.

Idolis] In Hebræo *amaritudinibus* est: id est, idolis quæ Deo ingrata sunt, & hominibus perniciem afferunt.

Ideoq;.] Pœnæ comminatio. In Hebræo est: *Ideo sanguis eius super eum defundetur*: id est, pœna capitali & extremo supplicio afficietur. *Sanguis* enim aliàs scelus capitale, aliàs supplicium capitale significat.

Et ut dignus est.] Hebraicè est: *Et opprobrium eius reddet ei Dominus eius*: id est, pœnas probro & dedecore, quo idolis colendis se affecit, & polluit dignas, ei infliget. Et in his verbis anomalia etiam numeri est. Reddet ei Domini eius, pro Dominus eius. Vide phrases substantiuorum, & numeri Enallagen.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

VERSVS PRIMVS.

CVm loquitur Ephraim, tremitur, adeo sublimis est in Israël: & tamen per Baal deliquit & morietur.



VM *loquitur.*] Primùm commemorat dignitatẽ qua Deus tribum Ephraim præ reliquis ornarit, quòd ex ea tribum delegisset, eumq; potentia & autoritate instruxisset, quæ alijs formidabilis esset, & terrorẽ incuteret. Ex ea enim tribu Hieroboã primus rex Israëlis erat, vt suprà aliquoties dictum est.

Et tamen.] Peccatum idololatriæ taxatur, quod Hieroboã vitulos adorandos publicè proposuerit, simulq; querela est de idololatria.

Baal.] autem hoc loco generaliter accipitur pro idolis, & quouis idololatriæ instrumento.

Et morietur.] Pœna est, nẽpè tribus Ephraimiticæ, & regni

totius excidium & vastatio. Simulq; collatio est potentiæ humanæ & potentiæ diuinæ: q.d. nihil vel tribui vel regno ea potentia profutura est, qua nunc gaudet, cùm Deus iudicium exercere ceperit: vnde apparet regni omnis & potestatis fundamentū & solidum præsidium esse veram pietatem & obedientiam erga Deum.

VERSVS II.

Nunc etiam amplius peccant, & faciunt sibi conflatilia ex argento suo, & pro ingenio suo statuas, quæ omnia fabrilia sunt opera: de ipsis autem vitulis dicunt homines qui sacrificant, vitulos osculātur.

QVod duobus ferè verbis primo versu expressit, id nunc duobus versibus repetit & amplificat: ac primū peccati repetitio & amplificatio est, ad totum populum accommodata, quod videlicet is exemplum regis Ieroboami sequens, non desinat vitulos ab eo primùm institutos colere & venerari: & indies noua idola & idololatriæ instrumenta cumulare.

Nunc etiam amplius pecc.] Id est, peccata peccatis cumulant, & idola idolis addunt, *&c.*

Et faciunt sibi conf.] Idolorum fabricationem amplificat, & simul idola Deos non esse ostendit, à caussa efficiēte & materia. Efficiens est, cùm ingenij humani inuēta & fabrorum opera dicantur. Materia est, cùm ex argento fieri dicantur. Per *argentum* autem reliqua omnis materia intelligitur.

De ipsis autem (uitulis) dicunt.] Id est, approbant cultum vitulorum à Ieroboamo institutum, eumque strenuè exercent, vt ordo rerum inuersus sit: *Prius enim erat approbare, postea rem augere & cumulare.* In Hebræo autem *uitulis* subintelligendum est.

Homines.] Id est, quicunque ritè sacrificare, & Deum colere volunt, illi vitulos exosculentur: id est, studiosè colant, vt sit cohortatio populi sese mutuò ad vitulos colēdos excitantis.

citantis. Osculum autem non tantùm amoris, sed etiam subiectionis & reuerentiæ signum erat. Vnde dicitur Gen. 41.v.40.de Iosepho: Os tuū osculetur vniuersus populus meus: tantùm hoc solio maior ero te: vide & 1.Samuel. 10. v.1.& Psal.2.v.12. Vnde etiam osculum singularis inter idololatras ceremonia fuit, vt reuerētię atq; adorationis signū: vt dicitur 1. Reg.ca.19. vers.18. Seruaui mihi septem millia, qui non curuarunt genua sua coram Baal, nec ore osculati sunt ipsum. Et apud Iobum cap.31.v.26.dicitur: Si vidi solem splendentem,& lunam præclarè incedentem,non sum animo ita clam deceptus, vt ore meo manum meam oscularer: hoc enim esset Deum supremè negare. Per *osculum* autem hoc loco totus cultus idolorum & vitulorum significari videtur.

VERSVS III.

Idcirco erunt velut nubes matutina, & sicut ros matutinus abiens, & sicut palea quæ turbine propellitur ab area, & sicut fumus qui egreditur de fenestra.

POEna idololatriæ,nempè excidium regni, quod per Assyrios futurum erat, quatuor similitudinibus exprimitur & amplificatur. Scilicet *nubis*, *roris*, *paleæ* & *fumi*, quæ res omnes facillimè dissipantur,euanescunt & pereunt. Duę autem priores similitudines ca.6.v.6.suprà fuêre,sed ad peccatum, hypocrisin, & simulatam pœnitentiam adhibitę. Opponuntur autem hæ similitudines vanæ spei & fiduciæ præsidiorum humanorum, quibus freti Israëlitæ comminationes propheticas contemnebant & deridebāt.

VERSVS IIII.

Ego autem sum Iehoua Deus tuus, è terra Aegypti, & Deum præter me non agnosceres, neq; seruator tibi præter me esse deberet.

Rursum

RVrsum verus Deus sese falsis opponit, & suũ erga populum amorem & beneficium singulare prędicat, quo se peculiariter ei patefecit, eumque ex seruitute Ægyptiaca miraculosè redemit, vt se solũ verum Deum esse intelligeret, & solum deinceps coleret.

Ego autem.] Vide suprà cap.12.v.9.

Deum præter me.] Finis redemptionis agnitio & cultus Iehouæ veri Dei.

Non agnosceres.] In Hebræo est *nescis*: id est, non agnosceres aut coleres.

VERSVS V.

Et noui te in deserto, in terra sitibunda.

REpetit eandem sententiam & ingratis suum beneficium inculcat & exprobat: vide sup.cap.7.v.13.& cap. 9.v.10.& 11.v.1.

Et noui te.] Id est, curaui, paui, defendi, seruaui, vt Psal.144. v.3. Quid est homo quod noueris eum.i.quòd prouidentia, cura, & fauore tuo eum complectaris.

In terra sitibunda.] Amplificatio à loci circumstantia, in quo rerum omniũ ad vitam tuẽdam necessariarũ penuria fuerit.

VERSVS VI.

Et in pascuis tuis saturati sunt: & elatum cor eorum, ideoq; mei obliti sunt.

QVerela est de populi ingratitudine, qualis & apud Mosen, cùm alibi, tùm Deut. 32.vers.15. est. Et impinguatus est Israël, & recalcitrauit.

In pascuis.] Pascua vocat ipsam terram Israël, in quam postquam introducti sunt, obliti sunt priorum Dei erga se beneficiorum, & ab ipso Deo ad idola defecerunt.

VERSVS VII.

Ero itaq; eis tãquam Leo: & sicut Pardus iuxta viam tritam.

VERSVS VIII.

Occurram eis tanquam vrſus orbatus: & dilacerabo præcordia ipſorum & deuorabo eos ibi velut Leo, quaſi beſtiæ agreſtes diſcerpam eos.

RVrſum peccato pœna ſubiungitur: quæ iterum ſimilitudinibus pulcherrimis figuratur, quarum occaſio ex proximo verſu ſumitur, vbi populus tacitè pecudibus collatus eſt. Vt igitur, inquit Deus, Leo, aut pardus, aut vrſus, aut alia quęuis beſtia crudelis ouiculã nactus eã diſcerpit, dilacerat ac deuorat: Ita ego in populum hunc rebellem & contumacem irruam, eoſq; vno impetu perdam.

Sicut pardus.] Vide ſuprà cap. 5. v. 15. vbi ſimilis ferè locus fuit, & plura de hac voce diximus.

Viam tritam.] Sic Pagninus. Alij vertunt pardus in via graſſans. Alij in via Aſſyriæ, cùm videlicet captiui in Aſſyriam abducentur. Sed eodem ferè ſenſus redit.

Præcordia.] In Hebræo eſt *clauſuram cordis*, vt vel intelligatur pinguedo, qua cor eorum obduceretur, ac proinde obtuſius & contumacius eſſet. Vel vt his verbis extremum periculum & mors intelligatur quam lęſo corde effugere non poterant.

Quaſi beſtiæ.] Genus ſpeciebus ſubiungit, vel quod ſibi antea tribuit Deus, hîc ad hoſtes eorum, quos beſtiarũ nomine deſignat, transfert: hoſtes igitur ipſis pro leonibus, pardis, vrſis & beſtijs futuri eſſent.

VERSVS IX.

Perdidit te vitulus tuus: ſed in me auxiliũ tuum eſt.

POEnæ cauſſam repetit, nempè idololatriam. Eſtque quaſi occupatio: q.d. Si perieris non eſt quod id mihi aſcribas, ſed tibi. Ego enim te ſeruare, quàm perdere mallem.

Perdidit te.] Id est, perdet. Subintelligendum autem est vitulus, aut peccatum, aut tale aliquid.

VERSUS X.

Ero in perpetuum: rex tuus vbinam est, vt seruet te in omnibus ciuitatib. tuis: & vbi Iudices tui sunt, de quibus dixisti, da mihi regem & principes.

VERSUS XI.

Dedi tibi regem in ira mea, & auferam rursum eum in furore meo.

SPecialiter regibus Israël interitum minatur: per regum autem interitum, populi & regni totius excidiũ significatur: vide sup. cap. 8. v. 4.

Ero in perpetuum.] Opponit Deus suam potentiam regum Israëliticorum maiestati & potentię.

Alij vertunt: *ubi rex tuus?*

Dedi tibi regem.] In Hebræo temporis Enallage est: *dabo* pro *dedi*.

VERSUS XII.

Ligata est apud me iniquitas Ephraim: reconditum est apud me peccatum eius.

DEus se peccatorum populi memorem esse affirmat.

Ligata est & reconditum.] Id est, quasi in crumena aut loculis asseruatur: q. d. maximè sum memor iniquitatis eorum.

VERSUS XIII.

Dolores parturientis venient ei: ipse est filius non sapiens: vtiq; tempus erit cùm nõ consistet in pariendi angustia.

SIgnificat Israëlem graues & repẽtinas pœnas daturum, quas nullo modo effugere poterit: frequens autem est apud

apud Prophetas pœnas graues & repentinas partus similitudine exprimere.

Ipse.] Caussa pœnarum est stultitia & peccatum, quo sibi pœnas accersant.

Non consistet.] Id est, obruetur quasi doloribus partus.

VERSVS XIIII.

E` manu sepulcri redemi eos, ex morte redimerem eos:
essem pestis tua, ô mors, excidium tuū sepulcrum:
sed pœnitentia abscondita est ab oculis meis.

E` *manu.*] Exponit Deus suum erga populum amorem, & ostēdit se populum ab omnibus malis defensurum & liberaturum, si modò pœnitentiam ageret. Est itaq; dulcissima promissio ad totam Ecclesiam pertinens. Vnde & Paulus eam citat 1. Corinth.15.v.55. cùm morti & inferno insultat. Per *manum sepulcri*, & *mortem*, calamitates & pœnas, & huius & futuræ vitæ intelligit.

Essem pestis.] Alij vertunt, *ubi pestis tua, ô mors*, vt suprà v. 10.

Sed pœnitentia.] Obstinatam populi peruicaciam deplorat, quòd nec minis nec promissionibus moueatur, vt pœnitentiam agat: q.d. non video populum pœnitentia affici.

VERSVS XV.

Cùm ipse inter fratres creuerit admodum, veniet Eurus ventus Iehouæ è deserto ascendens, & secabit venam eius, siccabiturq; fons eius, ipse diripiet thesaurum omnium vasorum desiderabilium.

QVantumuis potens sit regnum Israël, tamen id periturum esse affirmat Propheta.

Cùm ipse.] Scilicet Ephraim: id est, cùm regnum Israël armis & opibus maximè instructum sit. In verbo autem Hebraico אַחִים allusio est ad vocem אֶפְרַיִם.

Eurus.] Qui natura siccus est, & ijs in locis vehementior

 esse

esse solebat. Per *Eurum* autem seu ventum hostes, eorumq; impetum intelligit.

Ventus Iehouæ.] Id est, vel ventus vehementissimus, quomodo montes Dei dicuntur Psal. 36. v. 7. vel quòd hostes quasi venti diuinitùs excitati sint.

E` deserto.] Id est, vel plaga orientali: vel quòd ventus is terram reducturus esset in solitudinem, & desertum.

Venam eius.] Regnum comparat fluuio, qui exhausto fonte interit.

Ipse.] Scilicet hostis seu prædones Assyrij.

Thesaurum.] Preciosa omnia.

VERSUS XVI.

Desolabitur Samaria quia rebellauit in Deum suum, gladio cadent (ciues eius) *infantes eorum allidentur, & grauidæ descindentur.*

QVod figuratè proximè dixit, nunc propriè exponit, nempè regnum Israël prorsus periturum & ab hostibus deuastandum esse. Estq; hic versus quasi summa & conclusio omnium concionum Hoseæ.

Samaria.] Id est, totum regnum Israël: vide suprà cap. 1. v. 4. & 7. vers. 1.

Quia rebellauit.] Breuiter caussa excidij repetitur.

Infantes.] Summa hostium crudelitas significatur.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

VERSUS PRIMUS.

C*Onuertere Israël ad Deum tuum: quoniam corruisti per iniquitatem tuam.*

ACTENVS ab initio capitis duodecimi pars prior concionis sextæ & vltimæ fuit, nempè concio legis: sequitur nunc pars altera, nempè concio gratiæ & misericordiæ ad finem vsque capitis: vt autem concio legis longissima fuit à versu 4. capitis sexti, ad finem versus septimi, capitis vndecimi: Ita hæc post eam quæ cap. 2. v. 14. & deinceps fuit, omnium consolationum Hoseæ longissima, vberrima, & dulcissima est. Quare nūc post cōminationum multa & varia fulmina, serenitas & quasi portus apparet: id est, dulcissima cōsolatio proponitur, qua concionibus suis omnibus finem imponit Propheta, vt in ea tāquam in portu, pij & sanabiles omnes tum in eo populo, tum in tota Ecclesia acquiescant.

Ordo autem in hoc capite perspicuus est: quare non est negligendus, sed in ipsa enarratione membrorum indicandus, ita enim id breuissimè fieri potest, id tamen hîc obseruādum est, caput hoc Prophetæ verbis inchoari, & eijsdem etiam claudi, in medio autem pulcherrimum esse dialogismum populi & Dei mutuo colloquentis.

In primo igitur versu adhortatio est ad pœnitentiam agēdam verbis prophetæ proposita, vnde intelligi potest omnes comminationes & promissiones intelligendas esse cum conditione pœnitentiæ, vt suprà etiā monuimus cap. 1. v. 11. & cap. 2. v. 14. & cap. 3. v. 5, *&c.* ac proinde cùm regnū Israël ab Assyrijs vastatum sit, & decem tribus nunquam ab exilio redierint, intelligi potest, maximam populi partem in idololatria & peccatis contumacem mansisse, interim tamen gratia & misericordia omnibus proponitur, vt & pauci pij qui multitudinis exemplum non sequerentur, consolationem haberent, & qui sanabiles essent, in ipsis etiam calamitatibus exilij & captiuitatis de gratia Dei nō desperarent, sed ad misericordiam confugerent, eiusq́; spe & fiducia se sustentarent.

Ad Iehouam.] Omissis scilicet idolis, peccatis & sceleribus.

Corruisti.] Id est, corrues seu periturus es. Quare si pœnam & periculum effugere vis, maturè tibi resipiscendum est.

Vel sensus etiam est, *Cùm corrueris*.i. vbi in pœnis exilij & captiuitatis hæseris, vel tum pœnitentiam agas.

Iniquitatem.] Id est, idololatriam præcipuè, tum & alia flagitia.

VERSVS II.

Sumite vobiscum verba & cõuertimini ad Iehouam, dicite ei, omnem condona iniquitatem, da bona & reddemus vitulos labiorum nostrorum.

PErgit in exhortatione, & simul quæ sit veræ pœnitentiæ agendæ ratio ostendit.

Sumite uobiscum.] Videtur ordo verborum inuersus esse, pro *conuertimini ad Iehouã, & sumite uobiscum uerba, & dicite*, &c. In verbis igitur *reuertimini* repetitio est ad vim exhortationis augendam.

Verba.] Id est, preces. Precatio igitur germanum pœnitentiæ adiunctum est.

Et dicite.] Sequitur iam forma pœnitentiæ & precationis, verbis quasi populi expressa, & ad vsum accommodata. Estq; hîc populi cum Deo colloquentis, & veniam petentis oratio, & Dialogismi pars prima.

Omnem condona.] Prima pœnitẽtiæ pars vt hîc exprimitur, agnitio & confessio peccati, & simul petitio veniæ, & mitigationis pœnarum & calamitatum. Vera autem peccati agnitio cum serio dolore coniuncta est.

Hebraicè est: *Aufer seu tolle iniquitatẽ*.i. cõdona. Phrasis autẽ sumpta est ex Exod. ca.34. v.7. vnde & apud Iohannem dicitur: Ecce agnus Dei qui tollit seu aufert peccata mundi.

Da bona, seu benefac nobis.] Altera pars est nempè fiducia & petitio gratiæ & misericordiæ diuinæ, & expectatio omniũ beneficiorum, & benedictionum diuinarum inde proficiscentium, & in hac terra, & in æterna vita.

In Hebræo est *accipe bonum*, pro, da bona. Psalm. 68. v.19.

dici-

dicitur: Accepisti dona pro hominibus: id est, dedisti dona hominibus, vt Paulus ad Eph. 4. interpretatur.

Et reddemus uitulos labiorum nostrorum.] Tertia pars pœnitentiæ est, gratitudo & vitæ totius nouitas. *Reddere* enim *uitulos labiorum*, est Dei gratiam, misericordiam, & beneficia omnia non tantùm animo tacitè agnoscere, sed etiam voce publicè prędicare & celebrare, & vituli labiorum sunt vera sacrificia, nempè inuocatio veri Dei, confessio veræ doctrinæ, gratiarum actio pro beneficijs, & vera tandem cordis obedientia, vt dicitur, ad Hebræos 13. v. 5. Quare hac phrasi vera gratitudo ab hypocritica discernitur: hypocritæ enim Deo satisfactum esse putant, si sacrificia saltem externa cumulent, parum interim de animi gratitudine soliciti. Sic Psal. 51. v. 5. dicitur: Domine labia mea aperias, & os meum annunciabit laudem tuam, quoniam non vis sacrificium.

VERSVS III.

Assur non seruabit nos, equos non conscendemus, & nō dicemus amplius operibus manuum nostrarum: Dij nostri estis vos, quia per te misericordiam cōsequetur pupillus.

CVm gratitudine coniungitur, & clariùs iam exprimitur vitæ totius nouitas. Neque enim satis est verbis Deo gratias agere, sed in tota vita gratitudo erga Deū lucere debet. Ea autem consistit in peccato fugiendo, & officio faciendo.

Assur.] Peccata fugienda commemorat, & damnantur eaque præcipuè, quibus hactenus maximè Deum offenderāt, nempè idololatria & fiducia humanorum præsidiorum, quorum alterum Ecclesiæ, alterum rerumpub. peccatum vsitatum est. Per hæc tamen duo peccata, alia omnia intelligi possunt.

Assur.] Fiducia hominum principum, pręsertim regum, qua ab Assyrijs, Ægyptijs, & alijs profanis populis, potius

quàm

quam à Deo auxilium & defenſionem expectarét: vide ſup. cap. 7. v. 11. & cap. 12. v. 1.

Senſus eſt: *Deinceps in regibus Aßyrijs, aut alijs ſpem non collocabimus.* Verbum enim ſæpè opinionem & iudicium includit.

Equos.] Fiducia humanorum præſidiorum eſt: q. d. non in equis, armis, opibus, aut alijs prȩſidijs ſpem collocabimus. Equi enim præcipuè ad bellum adhibentur: vide cap. 1. v. 7. & Pſal. 20. v. 8. dicitur: Hi in curribus, hi in equis fidunt, nos autem nomen Iehouæ Dei noſtri memorabimus.

Neque dicemus.] Alterum peccatum, nempe idololatria. *non dicemus*: id eſt, non vltra idola colemus, neq; ea pro Dijs habebimus.

In Hebræo hyperbaton eſt: *Non dicemus amplius Dij noſtri uos eſtis, operi manuum noſtrarum.*

Quia per te.] Pro Antitheſi ratio tantùm antitheſeos ponitur. Sententia enim requirit hanc Antitheſin, Sed te ſolum pro vero ſeruatore & vero Deo colemus, & in te ſolo ſpem omnem collocabimus. Sed ratio tãtùm, vt dixi, huius ſententiæ exprimitur.

Quia per te miſeric. conſe. pupilli.] Id eſt, quia ex te ſolo, ſalus noſtra & omnium miſerorum pendet. *Tu ſolus pupillis*: id eſt, miſeris, afflictis, & laborantibus hominibus, & ad tuam gratiam & miſericordiam confugientibus, opem & auxiliũ ferre potes & ſoles, non homines, nec idola.

Appellatione & conditione pupillorum, *Eccleſia* non tantùm populi Iſraël exulis & captiui, ſed omnium temporum & populorum exprimitur. Vt enim pupilli conſilio & uiribus ipſi carent, & tantùm ex conſilio & ope aliorum pendent: Ita eccleſia rarò inſtructa eſt opibus, potentia, viribus, conſilijs, quibus iniuſtã vim & arma hoſtium à ſe depellere poſsit: ſed verè eſt pupilla ab omnibus deſerta & deſtituta, cui ſolus Deus tutor & defenſor eſt. Sicut dulciſſimè dicitur Pſal. 10. v. 14. Tibi relinquit cauſſam ſuam pauper, pupillo tu es adiutor.

VER-

VERSVS IIII.

Sanabo auersionem eorum, diligam eos liberaliter: & auertetur furor meus ab eo.

DVobus proximis versibus populi pœnitentia agentis sermo & precatio ad Deum fuit: sequitur nunc Dei respõsio, & liberalissima gratiæ & misericordiæ promissio, quæ dialogismi pars altera est, ad finem versus penultimi durãs. Atque hæc promissio, voce Dei proposita: q. exhortationis propheticæ argumentum est.

Deus promisit se resipiscentibus veniam daturum, & ope & auxilio affuturum, Ergo ô Israëlitæ resipiscite.

Hæc autem promissio pluribus inculcatur & amplificatur, & sex ferè versibus, vt magis ea auditores moueat. Vt enim difficilè est homines peccato quasi mandragoræ indormientes excitare, eosque concione legis commemoratione, iræ diuinæ, & pœnarum confirmatione eò perducere, vt peccatum suum agnoscant & damnent ipsi: Ita contra difficile etiam est, eos qui sensu iræ diuinæ tanguntur, præsertim qui iã in pœnis hærent, ita erigere & confirmare, ne de gratia Dei & venia desperent. Sicut igitur conciones sæpè repetitas inculcauit Propheta: Ita nunc etiam promissionem hanc dulcissimam subinde repetit & inculcat, vt magis animum auditorum subeat.

Sanabo auersionem.] Summa est sequentis responsionis & promissionis.

Sanabo, &c.] id est, condonabo peccatum, pœnas mitigabo, & quasi pristinæ sanitati vos restituam, ac bonis tandem spiritualibus & corporalibus vos cumulabo. Auersio igitur & peccatum ipsum, nempè contumaciam & rebellionẽ, & pœnas peccati Metonymiκῶs significat, Et populus ęgroto, Deus autem Medico comparatur.

Diligam eos liberaliter.] Caussa & modus sanationis. Irę enim auersio, est peccati & offensæ condonatio, & pœnarum mitigatio. Dilectio autem est fauor & amor Dei gratuitus, quo

non solùm iustitia gratis imputatur, sed etiam resipiscentes Spiritu Dei sanctificantur, & regenerantur, & tandem bonis, & benedictionibus omnibus spiritualibus & corporalibus seruantur & cumulantur. Vox autem *liberaliter*, fauorẽ gratuitum significat, qui merita excludit, vt sit quasi occupatio quædam contra populi desperantis & de indignitate sua cogitantis obiectionem: q.d. Etsi illi grauissimè peccarunt, nec vllã gratiam meriti sint: Tamen ego sponte mea ipsis peccata remittam, & deinceps eos diligã. Simul tamẽ etiam fauoris gratuiti magnitudinem ea vox denotare potest. In verbis autem *auersionis*, & *auertetur*, allusio quędam est ad vocem conuertere.

VERSVS V.

Ero velut ros Israëli, florebit quasi lilium: & aget radices suas quasi Libanus.

NVnc dilectionem suam Deus ab effectis commendat & amplificat. Atque hîc specialius à Deo respondetur ad precationis verba illa, da bona. Commemorat enim nunc Deus quæ bona populo daturus sit, & quanta eius post futura sit felicitas. Cùm autẽ hæc nunquam Israëli corporaliter contigerint, necesse est vt magis spiritualiter de Ecclesia & regno Christi intelligantur. Cuius Ecclesiæ felicitas in hac vita inchoatur, in æterno autẽ cõsumabitur: vt diximus suprà, cap. 2. v. 13. Estq; proinde hoc loco pictura Ecclesiæ præcipuè quod ad dona spiritualia attinet.

Ero uelut ros.] Comparat Deus Israëlem herbæ, aut arbori, iam marcescenti, se autem rori, qui vitam & vigorem ei restituat. Incredulis & obstinatis minatus est Deus cap. 9. v. 16. futurum esse vt radix eorũ prorsus exaresceret. Et proximo cap. v. 15. futurum dixit, vt vena eorum exhauriretur. Nunc contrà resipiscentibus futurum promittit, vt quasi stirpes semimortuæ reuiuiscant, cùm videlicet Deus per verbum & spiritum sanctum resipiscentes recreat, vt quæ hactenus steriles & aridæ fuêre, & ad fructus ferẽdos inutiles, dein-

deinceps viuificati nouas vires recipiãt & fructus gratissimos abundè ferant.

Florebit quasi lilium.] Comparat populum felicem lilio, & populi felicitatem lilij pulchritudini & fragrantiæ: Lilium enim aspectu iucundum est, & odorem latè spargens suauitate homines recreat: vide Cant. 2. v. 2.

Aget radices.] Id est, non tantùm erit felix, sed etiam felicitas illa perpetua erit & æterna. Atq; hanc speciem quãdam correctionis habere videtur. Cùm enim populum antè lilio comparauerit, ne quis inde colligeret eam felicitatem momentaneam futuram vt flores citò marcescunt, etiam nunc arbori populum eundem comparat, quæ altè radices in terra egit, ac proinde non facilè euellitur, aut euertitur, sed diutissimè durat & viuit. Nulla igitur tanta tempestas aut calamitas deinceps erit, quæ Ecclesiam euertere poterit, etiamsi omnia mundi regna conturbentur & corruent. Similem ferè comparationem vide Psal. 80. vers. 4. & Psal. 1. vers. 3.

Quasi Libanus.] Id est, arbores Libani mõtis. *Libanus* enim per Metonymiam pro arboribus ipsis ponitur. Quę arbores cùm essent altissimæ, etiam altè radices agere solebant. Libanus autem mons erat qui terram sanctam à Phœnicia separaret. Hæc de quinto versu.

VERSUS VI.

Defundent se rami eius, erit instar oliuæ decus eius, & fragrantia eius instar Libani erit.

DEfundent se.] Dixit felicitatem Ecclesiæ stabilem futuram, nunc eandem quotidie auctam iri affirmat. Vt enim radices stabilitatem: ita ramorum propagatio felicitatis incremẽtum significat. Tota autẽ Ecclesia subinde felicior & augustior fit, quia & nouis subinde donis diuinitùs ornatur, & indies plures ad eam accedunt, non aliter atque rami in arboribus quotannis magnitudine & numero crescunt.

Instar oliuæ.] Fœcunditas Ecclesiæ specialiter significatur quod multis quasi liberis procreatis, futura sit frequentissima. Aliàs enim ob fertilitatem & copiam fructuum celebratur vt Psalm. 52. v. 10. Sicut oliua fructifera in domo Dei: & Psal. 122. v. 3. Filij tui erunt sicut nouellæ oliuarum.

Et fragrantia eius ut Libani.] Fama Ecclesiæ & nominis celebritas his verbis significari videtur: q. d. felicitas Ecclesiæ per totum orbem celebrabitur: & glorificabitur, qui populum suum tam excellentibus donis ornârit: vt dicitur Psal. 148. Non fecit taliter vlli nationi.

Vt Libani.] Id est, vt arborum Libani. Sicut paulò ante. Libanus enim arbores profert odoriferas, vnde & mons ipse & arbores suauissimum spirarunt odorem.

VERSVS VII.

Recreabuntur qui sedent in vmbra eius, viuificabunt se vt frumentum, & germinabunt tanquam vitis, memoria eius tanquam vini Libani.

QVod duobus proximis versibus de tota Ecclesia, eiusq; felicitate in genere dixit, id nunc ad singula Ecclesiæ membra accommodare videtur Propheta. Estq; proinde hîc breuis superiorum repetitio.

Recreabuntur.] Comparauit Propheta totam *Ecclesiam* arbori proceræ, frondosæ, & patulæ quæ longè lateq; ramos diffundat, & radices altas agat: Nunc igitur singulos pios comparat ijs, qui sub arbore frondosa vmbram captant, qua se vel ab æstu Solis defendant, aut æstu fatigatos se recreēt: *umbra* igitur hoc loco significat consolationem, quæ in Ecclesia & Euangelio proponitur de remissione peccatorum, imputatione iustitiæ, donatione vitæ æternæ, calamitatum mitigatione, & defensione diuina, *&c.* Affirmat igitur in sola Ecclesia vmbram hâc inueniri, eosq; proinde solos tuto ab æstu Solis, & omnibus malis futuros, qui sub Ecclesiæ vmbrá se receperint, nec ab ea vmbra vnquá recesserint.

In He-

In Hebræo est *reuertentur*: id est, ad se redibunt, sentiẽt refrigeriũ, quo suauiter reficientur & recreabuntur: vt Psal. 19. v. 8. Lex Domini immaculata, redire faciens. i. recreans. & Psal. 23. v. 3. Animam meam faciet reuerti. i. consolabitur.

Viuificabunt se.] Propter particularem Ellipsin sensus ambiguus est. Duplici autem modo ex loci peristasi hæc accipi possunt.

1. Viuificabunt se quasi tritico seu frumento: vt sit penè idem quod precesit, vt significetur viriũ quasi ex fame collapsarum instauratio. Vt enim æstus ita & fames & quidem multo magis vires debilitat: q. d. vt homines famelici vires tritico seu cibo instaurantur: Ita resipiscẽtium vires diuina consolatione instaurabuntur.

2. Viuificabunt se quasi triticũ sese viuificat. Vt pij cõferantur granis tritici seu frumenti, eorumq; copia & fœcunditas tritici seu frumenti fœcunditati: q. d. vt ex vno frumẽti grano, multa prouenire solent: ita Deus sua benedictione piorum numerum subito acturus est, & quasi ex vno pio innumera piorum soboles pocreetur.

Et germinabunt ut uitis.] Vt suprà Ecclesiæ fœlicitatem comparatione lilij & arboris frondosæ expresit: ita nunc singulorum felicitatem vitis comparatione exprimit. Vt vitis inquit generosa & fructifera suauissimo fructu abũdare solet: ita pijs donis Dei vndiq; beat & felices erunt. Simul etiam in hac felicitate, fertilitas & fructuum bonorũ quaredundant copia comprehẽditur, & hac similitudine exprimitur. Vnde ad Tit. 3. v. 14. Discant & nostri bona opera obire, vt non sint infrugiferi.

Memoria ut uini Libani.] Id est, tam grata & suauis erit memoria piorum apud alios, quàm gratum & suaue est vinum Libani, eiusque odor & fragrantia. Vel tam celebres erunt pij in Ecclesia, ob felicitatem & benedictiones Dei, quàm celebre est vinum quod in Libano nascitur. In Libano enim vinum laudatissimum proueniebat, quod Græci & Romani etiam celebrarunt, *Baritium* & *Tyrium* appellantes

de nomine portuum ex quibus portabatur. Item ſicut vinũ generoſum quale eſt quod in Libano naſcebatur maximè fert ætatem: ita memoria piorum perpetua erit, nec vnquã extinguetur: vt Pſal. 112. v. 6. dicitur: In memoria æterna erit iuſtus.

In voce autem *Eius* Numeri mutatio eſt, pro, *eorum*.

VERSVS VIII.

O' Ephraimitæ quid mihi amplius erit cum idolis? ego exaudiam & reſpiciã te, ego ero tibi ſicut abies viridis, ex me fructum percipies.

POſtremus eſt reſponſionis diuinę & promiſsionis verſus, quo promittit Deus ſe ita cum populo acturum, vt reipſa intelligat, ipſum ſolum omnis boni autorem & fontem eſſe: nihil autem eſſe in idolis præſidij aut auxilij, nec boni quicquam proficiſci ab eis. Ac proinde ſe ſolum ſine idolis deinceps colendum eſſe, affirmat.

O' Ephraimitæ.] Id eſt, efficiam beneficijs meis erga vos, vt deinceps non colatis idola mecum, nec quicquam mihi deinceps cum idolis commercij ſit & negotij.

Ego exaudiam.] Beneficia Dei exprimit, quibus & ſeſe verũ Deum eſſe, & idola non eſſe Deos oſtẽdere & probare vult Deus. Verbo autem *exaudiendi, reſpiciendi* ſeu *defendendi* omnia diuinæ prouidentiæ & amoris beneficia intelliguntur: q. d. tum ſenties & intelliges te à me ſolo, non ab idolis exaudiri, defendi & iuuari.

Ero tibi ut abies.] Id eſt, abies perpetuò viret, & viuit, ita ego ſum Deus viuus & æternus, qui vos amore perpetuo complector. Vtque abies vmbram in æſtu præbet: ita ego defenſionem & auxilium cùm opus eſt, præſtabo. Abies igitur virens opponitur lignis & lapidibus vnde idola fiebãt, quę & mortua, & ad iuuandũ prorſus inefficacia eſſent.

Ex me fructum.] Modò abieti arbori frondoſæ, ſed ſterili comparauit ſe Deus, nunc igitur arbori felici & fructiferæ ſe com-

ſe comparat: quæ in magna copia fructum fert: q. d. Deus, nõ ſolùm vmbram perpetuam & defenſionem vt Deus viuens & æternus præſtabo, ſed etiam omnis generis beneficijs vos ornare & cumulare non deſinam quæ ab idolis expectari aut proficiſci nullo modo poterint.

VERSVS IX.

Quis ſapiens eſt & intelligit iſta? quis intelligens eſt vt cognoſcat ea? quia rectæ ſunt viæ Iehouæ, & iuſti ambulabũt in ijs: præuaricatores verò corruent in ijs.

COnclusio eſt non tantùm præſentis concionis, ſed omnium concionum Hoſeæ. Eſtq; ſententia omni gẽma & vnione pretioſior, ac proinde diligentiſsimè obſeruanda. Eſt enim cõmendatio doctrinę cœleſtis, ſimulque adhortatio ad ardens doctrinæ eius ſtudium.

Qua primùm aduerſus impios & profanos doctrinę cõtemptores quales multi aut pleriq; etiam inter auditores Hoſeæ fuêre, & ſemper in mundo ſunt, doctrinæ autoritatem aſſerit.

Deinde pios hortatur & cõfirmare conatur, vt doctrinam hanc ipſe & collegę eius proponerent, amplectantur & diſcant, & amplexi, conſtanter retineant, & voce & vita profiteantur, nec exemplo profanorum ab ea deficiãt, aut eam contemnant: vide Pſal. 119. vbi hic verſus copioſè enarratur.

Simul autem hîc conſolatio eſt, qua Propheta ſe & alios conſolatur aduerſus ſcandalum paucitatis eorum qui verbum amplectuntur & ex eo vitam inſtituunt, cùm maxima mundi pars & Deum ipſum & verbum eius ſecurè contemnat. Affirmat enim futurum Propheta, vt quanquam hi multi ſunt, tamen paucos ſapientes eſſe, qui ſemper doctrinam cœleſtem amplectantur & ſequantur.

Quis ſapiens eſt?] Doctrinæ commendatio & adhortatio ad ſtudium doctrinę per exclamationem: Simulq; votum eſt Prophetæ, quo vt homines aliqui id faciant, optat, quod

ipſe

ipse hortatur Propheta. Si quis, inquit, sapiens est, aut sapientiæ studiosus esse velit, amplectatur hãc doctrinam, in qua sola solida sapientia est, nec sequatur iudicium profanę multitudinis, quæ suam sapientiam esse iudicat hanc doctrinam contemnere, & pro sua libidine omnia agere & facere. Est igitur argumentum ab excellentia & dignitate verbi: hæc doctrina sola veram & solidam sapientiam cõtinet: isq; solus sapiẽs dici potest, qui in huius doctrinæ studio assiduè versatur. Ergo sapientis est hanc doctrinam discere, & omnibus alijs doctrinis pręferre. Vnde Deut.4.v.6.dicitur: Hæc est sapiẽtia vestra & intelligentia vestra coram omnibus populis, *&c.*

Intelliget ista?] Id est, studebit intelligere, & ex eo vitam instituere.

Quis est?] Repetitio eiusdem sententiæ ad rei exaggerationem.

Quoniam rectæ sunt uiæ.] Vias Iehouæ vocat doctrinã ipsam, quæ viam ac rationem Deum rectè colendi, recteq; viuendi præscribit has rectas esse ait, quòd hæc doctrina nihil habeat erroneum admixtum, cùm reliquæ doctrinæ varias habeant errores. Est igitur alterum argumentum.

Hæc doctrina sola pura & syncera est: quare diligẽter discenda est. Vnde dicitur Psal.119.v.140. Admodum purus est sermo tuus, & seruus tuus diligit eum.

Et iusti ambula.in eis.] Iusti: id est, qui non perseuerant contumaciter in peccatis, sed dociles sunt, & si labuntur, resipiscunt, & vitam ad præscriptum doctrinæ cœlestis instituũt.

Ambulabunt.] Id est, cursum fine impedimento & offendiculo tenebunt, adeoq; perpetuò felices & beati erunt. Verbum enim *ambulandi* hoc loco impingendi seu corruẽdi opponitur, & significat feliciter procedere, seu felicem esse. Est igitur hîc tertium exhortationis Argumentũ. Quod hęc doctrina sola sui studiosos beatos efficit. Quare diligenter cognoscenda est. Vnde dicitur Psal.119.v.1. Beati immaculati in via qui ambulant in lege Iehouæ. Et v.165. Pax multa dili-

diligentibus legem tuam, & non est illis offensio.

Præuaricatores.] Id est, qui contumaciter peccant & in peccato perseuerant, & doctrinam hanc contemnunt, quod ea ingenio cupiditatibus & affectibus ipsorum aduersetur.

Corruent.] Id est, iram Dei & pœnas grauissimas incurrent, adeoque tandem in æternum peribunt. Sic suprà *impingere* seu *corruere*, pro *perire* fuit, cap.4.v.5.& 14.v.1.

Hoc ergo quartum est commendationis doctrinæ, & ad studium eius exhortationis argumentum, qui doctrinam hanc contemnunt, prorsus & omnino sunt perituri. Ergo nullo modo contemnenda est, sed potius diligenter discenda & cognoscenda. Vnde dicitur Psal.119.v.21. Increpa superbos, Maledicti qui aberrant à præceptis tuis. Et v.119. Tanquam scoreas abijcis omnes impios terræ, ideo diligo testimonia tua. Et 155. procul ab impijs salus quia edicta tua non quærunt.

Quatuor igitur sunt in hoc dulcissimo versu Argumenta grauissima, diligentissimè obseruanda, quibus argumentis doctrina cœlestis & studium eius nobis commendatur.

I. Quòd hæc doctrina sola, solidam sapientiam cõtinet.

II. Quòd hæc doctrina sola, pura & perfecta sit, quę nullos habeat errores admixtos.

III. Quòd hæc doctrina sui studiosos æternum beatos efficiat.

IIII. Quòd contemptores huius doctrinæ perituri sint, & perpetuò miseri futuri.

Moniti igitur hoc sanctissimo Prophetę Hoseæ oraculo, & his grauissimis argumentis, tùm conciones nostri Prophetæ, tùm totam doctrinã cœlestem magnifaciamus, eamque sedulò discamus, & ad vsum in tota vita transferamus. Quod vt ab omnibus nobis fiat, Deum toto pectore oro.

Atque hactenus concionum Hoseæ Ennarratio grammatica fuit.

REPETITIO PRÆCIPVORVM LOCORVM SEV DOctrinarum Hoseæ.



VM plures sint conciones Hoseæ, quæ omnes eiusdem sunt Argumenti, ut uidimus, ac proinde res & sententiæ eædem in diuersis concionibus subinde repetantur: Nunc absoluta Prophetæ enarratione præcipuos locos & doctrinas ex concionibus Prophetæ, unum in locum breuiter colligam, ut magis adhuc à studiosis obseruentur, & faciliùs ad usum transferantur.

Duo igitur sunt capita cōcionum Hoseæ, ut reliquorum Prophetarum, & Scripturæ totius, nempè Lex & Euangelium, seu doctrina legis & doctrina gratiæ.

Ad legem spectant hæc sequentia.

I. Et præcipuè reprehendit Hoseas peccata populi Israël, contra primam tabulam, & in primis idololatriam, idq́ passim per omnes conciones.

II. Idololatriam autem ait primo quod uitulos à Ieroboamo introductos, & Baalim ab Achabo, & alia etiam Idola colerent. Vitulorum mentio fit, ca. 8. v. 5. cap. 10. v. 5. cap. 13. v. 2.

Baalim autē ca. 2. v. 8. & 10. v. 14. Idolorū autem cap. 4. v. 17. & alibi passim.

III. Deinde quod idolis suis dona & bona quæ solus Deus daret accepta referrent: ut dicitur cap. 2. v. 5. Et cap. 8. v. 12, &c.

IIII. Præterea quod quouis loco extra templum Hierosolymitanum sacrificarent, ut dicitur cap. 4. v. 13. Super capita montium immolant, & super colles adolent, &c.

V. Idololatriam comparat adulterio: qua comparatione & sceleris turpitudinem, & iræ diuinæ magnitudinem exprimit. Vt enim adultera grauissimè in maritum peccat: ita populus idolis colendis grauissimè in Deum peccauit. Vtq́ maritus adulterio uxoris grauissimè offenditur: Ita Deus etiam idololatria populi grauissimè offensus est. Atq́ huc spectant cap. 1. 2. & 3.

VI. Comparat etiā eam ebrietati & insano amori. Vt enim ebrietas & amor homines insanos reddunt: ita idololatria dementes facit homines, ut nullis admonitionibus sanari queant, sed cæci ruant, quo spiritus fornicationis eos impellit. cap. 4. v. 11. & 12.

VII. Idololatrarum in idolis colendis ardorem exprimit, cap. 7. v. 4. Omnes (inquit,) adulteria committunt, tanquam clibanus accensus à pistore. & v. 7. Omnes, inquit, æstuant quasi clibanus.

VIII. Caussam efficientem idololatriæ unam esse affirmat, res secundas & ocium. Ca.3.v.6. Cùm abundè pascerem eos, cumq; saturati essent, eleuatū est cor eorum, & mei obliti sunt.

IX. Alterum peccatū contra primam tabulā, quod hic reprehenditur, est præsidiorum humanorum fiducia præpostera, qua fretus populus cæcus se etiam Deo irato & inuito tutum fore à pœnis & calamitatibus, quas Prophetæ ijs minarētur, denunciarēt & prædicerent existimauit. Itaq; non solùm domi, se pecunia, armis & milite instruxerunt, sed etiam cum populis & Gētibus uicinis, profanis quidem, sed potentibus, ut Assyrijs & Aegyptijs fœdera fecerunt, & amicitiam eorum magno precio redimerunt.

Hæc autem fiducia præsidiorum humanorum, non tantùm per se peccatū erat, sed etiam aliorum peccatorum præsertim idololatriæ occasio & caussa fuit. Ex hac enim amicitia & familiaritate populi Dei cum Gētibus, populus paulatim mores & religiones gentium didicit, & in ipsarū gratiam etiā idola & multa ex ipsarū superstitiosis ceremonijs & ritibus sæpè receperunt. Atq; hac in re non rarò regna & respub. Christianæ etiam peccant: uide ca.5.v.13.& cap.7.v.8.& 11. Et cap. 8.v.9.& 14. Et cap.12.v.12. Vbi dicitur fœdus cum Assyrijs faciunt, & oleum in Aegyptum portant.

Tertium peccatum est falsa populi de cultu Dei persuasio, quem cultum magis in sacrificijs & ceremonijs, quàm in uera Dei cognitione & celebratione, & officijs charitatis erga proximum consistere perperā existimabant, unde dicitur cap.6.v. 7. Misericordiam uolo, nō sacrificium, & cognitionē Dei magis quàm holocausta.

Quartum est populi cæcitas, quòd non intelligat.

1. Ex ligno non fieri Deum: ut ca.4.v.12. populus meus, lignum suum interrogat, & baculus eius respondet ei. Quia spiritus fornicationum seduxit eos.

2. Quod non intelligant à solo Deo bona omnia proficisci, & non ab idolis, cap.4.v.8. Ipsa nesciebat quòd ego dedissem ei frumentum, uinum & oleum. Et cap.11.v.3. Non agnouerunt quòd ego sanauerim eos.

3. Quòd non intelligerēt & agnoscerent se propter peccata affligi à Deo. Ca. 7.v.9. Comedunt alieni robur eius, & ipse nescit, canities sparsit se in eo, & nō nouit. Vnde dicitur ca.4.v.4. Succiditur populus meus, eò quòd sit absq; scientia.

Hæc autem cæcitas etiam idololatriæ ex parte caussa est, ut ca.8.v.14. Ex auro quod dedi ipsis, ipsi fecerunt Baal.

Quintum, Est securitas populi, quòd nec Deum ipsum, nec irā eius, nec pœnas ab eo infligendas metuant. Ca.7.v.2. Cogitāt in corde suo me maliciæ eorum non futurum memorem.

Sextum est uerbi Dei, & legis diuinæ contemptus, qui nō solùm & ipse peccatū est, sed fons etiam est cùm aliorum peccatorū, tùm idololatriæ: cùm mens humana

in uerbo Dei non acquiescit, sed putat sibi licere de Deo opiniones fingere, & bono studio cultum instituere. Ca.4.v.6. Et oblita es legis Dei tui. Et ca.8.v.12. Scripsi ei honorabilem legem meam, sed tanquam res ab eo aliena reputata est.

Septimũ. Populi contumacia & peruicacia quòd non uerbũ tantùm negligant & contemnant, sed etiam pertinaciter in peccatis perseuerent: ut dicitur cap.11.v.5. Quoniam nolunt cõuerti. Nec id solùm, sed etiam verbo sese opponunt, eiq́ & prophetis, atq́ uerbi ministris reclament, eosq́ refutare & in ordinem redigere conentur, quod extremæ impietatis est. Ca.4.v.4. Nemo contendat cum hoc populo, nemo eum arguat: nam populus hic similis est contendentibus cum sacerdote: id est, cum ipsis sacerdotibus & prophetis contendit.

Octauum est populi erga Deum ingratitudo: quod pro summis beneficijs ipsi tam malam gratiam referat, quam ingratitudinem ut ostẽdat Propheta, beneficia Dei in suis concionibus subinde inculcat, ut primũ rerũ corporaliũ. Ca.4.v.8. Ipsa nesciebat quod dedissem frumentum, uinum & oleum. Secundò Spiritualium: ut ca.8.v.14. Oblitus est Israël factoris sui. Et Ca.11.v.1. Cùm puer esset Israël, dilexi eum, & ex Aegypto uocaui filium meum. Hic enim gratuita populi electio.

Atq́ hæc peccata primæ sunt tabulæ quæ Hoseas præcipuè reprehendit.

Peccata etiam contra secundam tabulam reprehendit (etsi parcius) ut cap.4.v.1. Disceptatio est Iehouæ cum habitatoribus terræ. Quia nulla est ueritas, nulla misericordia, nulla cognitio Dei in terra hac. Versu 2. Sed peierare & mentiri, occidere & furari, & adulterari, fregerunt septum legis, & sanguis sanguinẽ tetigit. Per hæc enim pauca, cætera omnia intelliguntur, & peccati reprehensio sic est.

Post peccati reprehensionem cõminatio est, qua nomine Dei pœnas & Reipub. calamitates populo Israël propter peccata comminatur Propheta. Et disertè prædicit futurum, ut regnum ab Assyrijs uastetur, & populus in Assyriã captiuus abducatur, nisi maturè resipiscant. Vt dicitur passim per omnes conciones, tum cap. 13.v. ultimo: Desolabitur Samaria, quia rebellauit in Deum suũ, & 11.v.5. Assur ipse erit rex eius.

Vniuersaliter autẽ imperia & regna, propter idololatriã, tyrannidem & libidines mutantur, & euertuntur, ut ex concionibus propheticis, & exemplis populi Dei apparet.

Cum hac autem pœna captiuitatis & exilij, multæ calamitates coniunctæ erãt. Qualis enim nunc est Christianorũ in Turcia captiuorũ, talis ferè populi Dei tunc in Assyria fuit. Vnde & summa populi auxietas fuit, de qua dicitur ca.10.v.8. Dicturi sunt montibus: Operite nos, & collibus: cadite super nos. Nã ut nihil de corporalibus miserijs populi inter hostes crudeles & potentes, exulãtis & captiui, nũc dicamus, primum nullum religionis & doctrinæ publicũ ministerium & usum illic habere poterant, ut dicitur cap.9.v.5. Quid facietis in die solennitatis? & in die

festiui-

festiuitatis Iehouæ. Deinde cùm inter tyrannos idololatras captiui essent, corū etiā superstitiones amplecti, & idola pro uero Deo colere cogebātur, ut dicitur ca. 8. v. 11. Quoniā multiplicauit Ephraim altaria: erunt ei altaria ad peccandū. Item ca. 9. v. 3. In Assyria pollutum comedent. Tertiò. Atq; hinc etiam maior Dei offensio & in populum ira sequebatur. Vnde dicitur ca 9. v. ultimo: Non libabunt Iehouæ uinum, neq; grata erunt ipsi sacrificia ipsorum. Postremò quod omnium tristissimū esset, perpetua populi contumacis abiectio, ut dicitur cap. 1. v. 6. Non addam ultra misereri eius. Et ca. 5. v. 6. Ibunt cum gregibus & armētis suis, & quærēt Iehouā, sed non inuenient eum. Subtrahit se ab eis, non addā, ut diligā eos. Et v. 17. Abijciet eos Deus meus, quia non paruerunt ei. Atq; ita totum populum simul accusat Propheta, eiq; pœnas minatur. Specialiter autē cum regibus, sacerdotibus, regum consiliarijs, & Pseudoprophetis, in eo populo expostulat, ijsq; pœnas specialiter minatur. Cùm enim ij præcipuè idololatriæ, & aliorū peccatorum Autores & defensores essent, etiam præcipuè pœnas merebantur.

Primùm ergo cum regibus expostulat, quod cùm eorū officiū esset, religionis puritatē & autoritatem exēplo tueri. Ipsi contra idololatriam & corruptelas religionis, à maioribus introductas sui compendij caussa publicè defendere nō desisterēt. Ca. 5. v. 1. Domus regis auscultate, quia uestrûm est facere iudicium. Ca. 9. v. 15. Omnes principes eorū desertores. Ca. 10. v. 7. Succidetur Rex Samariæ quasi spuma in superficie aquæ. Et v. 15. In aurora succidetur Rex Israël.

Secundò consiliarios regum reprehendit, quod potius ipsis regibus adularētur, quā sui officij, præsertim in religione tuenda & reformāda admonerent, ut dicitur ca. 7. v. 3. Malitia sua exhilarāt regē, & mendacijs suis principes. Et v. 5. Die regis nostri ægrotare faciunt eū principes utre uini. Protrahit manū suā cum elusoribus.

Tertiò sacerdotes accusat, quòd cùm essent à Deo cōstituti, ueræ religionis antistites, tamen & ipsi legē contempserint, & eam religionis deprauatione improbauerint, idq; in gratiā principum, & sui compēdij caussa. Ca. 4. v. 6. Quia tu sacerdos scientiam spreuisti, spernam & ego te, & quia oblitus es legis Dei tui, obliuiscar & ego filiorum tuorum. Vide & v. 8. & 9. & cap. 5. v. 1. dicitur: Audite hoc sacerdotes, quoniam ut laqueus fuistis super Mispa, & ut rete super Tabor.

Quartò Pseudoprophetas reprehendit, quod ueris prophetis Dei sese opposuerint, ipsisq; reclamarint, & contraria ipsis docuerint & prædixerint, ut ita populum & reges in superstitione & idololatria confirmarent. Vnde dicitur ca. 9. v. 8. Propheta laqueus aucupis in omnibus uijs eius est. Et c. 4. v. 5. Corruet Propheta tecū.

Atq; hæc reprehensio & comminatio & generalis & specialis est, ad Israëlem pertinens. Superest reprehensio regni Iudæ.

Etsi enim regnum Iudæ, regno Israël purius fuit, & ab ipso Propheta ei interdum præfertur: Tamen quoniam & ipsum peccatum Israëlis imitabatur, tandem

etiã, licet serius unà perituru͂ esse prædicit Propheta, ut dicitur c. 12. v. 2. Disceptatio Iehouæ est cum Iuda Et ca. 5. v. 10. facti sunt principes Iudæ quasi qui transferunt terminos. Super eos effundam quasi aquam iram meam. Et ca. 8. v. 14. Iudas multiplicat urbes munitas, mittam igitur ignem in ciuitates eius. Et ca. 5. v. 5 Corruet Israël, corruet etiam Iuda simul. Peccatum igitur & pœnæ reprehensio, itẽ cõminatio sic est. Postremò uerò corolarij instar, & caussa peccati atq; pœnarum: & finis & usus harum reprehensionum & comminationum exprimitur.

Primùm enim affirmat Propheta Deũ nec peccati Authorẽ, nec pœnæ caussam primam, sed hominem ipsum esse. Peccatum enim ex uoluntate humana proficisci, quod cùm Deum offendat, eum etiam ad puniendũ excitat, atq; pœnas secũ trahit, ut dicitur ca. 13. v. 9 Pernities tua est ex te, ô Israël, tantũ auxilium in me tuum est.

Deinde omnes admonitiones, reprehensiones, & cõminationes, pœnas etiã ipsas, corporales præsertim, eò pertinere, ut homines iræ Dei metu, & sensu pœnarũ territi & excitati resipiscant, & ita pœnas maiores effugiant: ut dicitur ca. 6. v. 1. Ibo & reuertar ad locum meum, donec deficiant, & requirant faciem meam. In tribulatione enim sua quærent me. Et v. 6. Propterea dolaui eos per Prophetas, & propè enecaui eos uerbis oris mei. Vt iudicium eorum esset, ut lux manè exoriens: id est, ut resipiscentes pœnas uitarent, & deinceps felices essent. Vide & cap. 7. v. 10.

Atq; hactenus doctrina legis fuit. Sequitur nunc caput alterum nempè Euangelium seu doctrina gratiæ, quò referri hæc sequentia possunt

Primum. Ipsa inuitatio & exhortatio Prophetæ ad cõuersionem seu pœnitentiam seu resipiscentiam: ut cap. 12. v. 6. dicitur: Tu ergo ad Deum tuum reuertere. Et 14. v. 1. Reuertere Israël ad Iohouam Deum tuum, &c.

Secundum. Conuersionis seu pœnitentiæ descriptio, quæ cõsistit: primùm in peccati agnitione, confessione & fuga: ut dicitur ca. 14. v. 3. Assur non seruabit nos & super equos non ascendemus, neq; dicemus ultra operibus manuum nostrarũ, Dij nostri uos estis. Deinde in gratiæ & misericordiæ diuinæ fiducia, & petitione remissionis peccatorũ, mitigationis pœnarũ, & auxilij diuini: ut dicitur ca. 6. v. 2. Venite reuertamur ad Iehouã: ipse lacerauit & sanabit nos, percussit & alligabit nos, &c. Et v. 4. Tanquã aurora exorietur, & ueniet nobis tanquam imber. Et Ca. 14. v. 2. Tollite uobiscũ uerba, & dicite ei, omnem aufer iniquitatem, & redde nobis bona. Tertiò, in uera animi gratitudine, quæ declaratur, primũ uerbis. Ca 14. v. 2 Reddemus tibi uitulos labiorum nostrorũ. Deinde uitæ totius nouitate, & uero Deo obediendi studio, ut ca. 1 v. 5. Requirent Iehouã Deũ suum, & Dauid regẽ suum, & pauebunt ad Iehouam, & ad bonũ eius in nouissimo dierum. Et c. 10. v. 12 Seminate uobis iustitiam, & metetis misericordiã, arate uobis arationem: nã tempus requirendi Iehouã est, donec ueniat, & doceat uos iustitiam. Et cap. 12. v. 6. Misericordiam & iustitiam custodi, & fide Deo tuo semper. Et c. 6 v. 6 Misericordiam uolo & non sacrificium, & cognitionẽ Dei magis quàm holocausta.

Tertium. Dulcissimæ promissiones de gratia Dei, de remissione peccatorum, de auxi-

auxilio & præsentia Dei, de collectione & defensione Ecclesiæ, & benedictionibus diuinis omnis generis. Atq; huc spectant hi dulcissimi uersus.

De remissione peccati & gratia, cap. 14. v. 4.

Sanabo rebellionem eorum, diligam eos sponte, & auertetur furor meus ab eis.

De mitigatione pœnarũ. Cap. 11. v. 8. Quomodo dedã te hostibus Ephraim? quomodo tradã te Israël? An ponã te sicut Adma? an ponã te sicut Zeboim? Inuersum est in me cor meũ, pariter accensæ sunt cõmiserationes meæ. v. 9. Non faciã secundùm iram furoris mei: non perdam Ephraim, quoniam Deus sum & non homo, in medio tui sanctus, & non hostis tuus, &c.

De Ecclesiæ collectione & instauratione, eiusq; & piorum omniũ defensione, & benedictionibus spiritualibus & corporalibus, ut, Cap. 1. v. 10. Erit tamẽ numerus filiorũ Israël, sicut arena maris, quæ nec mensuratur, nec numeratur. Et erit pro eo quod dicebatur eis, nõ populus meus uos estis, dicitur eis iã filij Dei uiuentis estis. v. 11. Et cõgregabuntur filij Iuda, & filij Israël, & ponẽt sibi caput unũ, & ascendẽt è terra, quia magnus dies iste. Et ca. 2. v. 14. Propterea en ego seducã eam, & deducã eam in desertũ, & loquar ad cor eius. Et 19. v. Despõsabo te mihi in sempiternũ, desponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & misericordia & miserationibus. Et v. 20. Et despõsabo te mihi in fide, & cognosces Iehouã, & cætera ad finẽ usq; Capitis. Et ca. 3. v. 5. Postea reuertentur filij Israël, & requirẽt Iehouã Deum suũ, & Dauidẽ regẽ suum, & pauebũt ad regem suũ, & ad bonũ eius in nouissimis dieb. Ca. 11. v. 10. Post Iehouã ambulabunt, qui ueluti Leo rugiet, ipse enim rugiet, & pauebũt filij occidentis. v. 11. Pauebũt ut aues ex Misraim & ueluti colũbæ ex terræ Assur, collocaboq; eos in domibus suis, dixit Iehoua. Cap. 14. v. 5. Ero tanquã ros Israëli germinabit tanquã lilium, & crescent radices eius, ut radices arborũ Libani. v. 6. Crescent rami eius, & erit gloria eius, quasi gloria oleæ, & odor eius ut odor Libani. v. 7. Recreabuntur qui sedent in umbra eius: uiuificabunt se ut triticũ, & germinabũt ut uitis, odor eorũ erit, ut odor uini Libani. v. 8 Ephraim quid tibi ultra cum idolis, & respiciã te, ego ero tibi ut abies uirẽs, ex me solo fructus tibi proueniet. Et ca. 13. v. 14. È potestate inferni redimã eos, à morte redimã eos: ero mors tua ô mors, ero pestis tua ô inferne. Atq; in his promissionibus disertè fit mentio Messiæ. ut ca. 1. v. 11. ubi caput Ecclesiæ appellatur. Et ca. 3. v. 5. ubi Dauid rex Ecclesiæ appellatur, & cũ Iehoua cõiũgitur. Et ca. 14. v. 13. ubi liberatio etiã à morte per Christũ promittit̃, qui uersus à Paulo, ad Christĩ regnũ & resurrectionẽ nostrã accõmodatur. 1. Cor. 15. v. 55. Atq; hæc ferè summa & ordo doctrinæ Hoseæ fuit, quo omnes ferè Prophetæ uersus, à studiosis reuocari possunt. Hãc autẽ doctrinã suã Propheta ipse uersu extremo, obsignans quasi, grauissimè nobis cõmendat, cũ ait: Quis sapiẽs est & intelliget ista? Quis intelligens est & cognoscet ea? Quia rectæ sunt viæ Iehouæ, & iusti ambulabũt in ijs. Preuaricatores autem corruent in eis.

Atque hactenus Hoseæ Enarratio, eiusq; doctrinæ repetitio fuit.

ΤΈΛΟΣ.

104

BASILEÆ,
PER SEBASTIANVM
HENRICPETRI:
Anno
cIↄ Iↄ XC.
Mense Septembri.


6
15
16